sc·sup.13·pl·3.

31
10 D
6

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JANSENIUS
EXARMATUS
IN
EPISTOLIS INSTRUCTIVIS
ET
ANTI-HEXAPLIS
SEU SCRIPTIS SEX COLUMNARUM
Adm. R. P. PAULI LUGDUNENSIS, CAPUCINI,
SS. THEOLOGIÆ LECTORIS
Contra modernos Janſeniſmi errores
& præſertim contra centum & unam
Ex Libris [redacted] Propoſitiones
[redacted] PATRIS QUENELLI
Damnatas à SS. D. N. PAPA CLEMENTE XI.
Quas Epiſtolas & Anti-Hexaplas
Ex Gallico idiomate in latinum tranſtulit, & in tres Tomulos diviſit
F. MARTINUS LUCERNENSIS CAPUCINUS
antehàc SS. Theologiæ Lector.
TOMULUS TERTIUS.

Badæ Helvetiorum, Typis Joſephi Ludovici Baldingeri.
Anno M. DCC. XX.

Digitized by Google

INTERPRES LECTORI.

Cùm neque in his partibus defuerint ſycophantæ, Novitatibus quàm avitis Veritatibus faventiores, magis devoti Cathedræ peſtilentiæ quàm ſacræ Sedi, plus prurientes audire & legere Novum Teſtamentum Quenelli, quàm attendere ad Teſtamentum Summi Teſtatoris Jeſu Chriſti per os & organum Eccleſiæ ſuæ ſanctæ latum: cùm non defuerint ſcioli quidam & ſemi-docti, non niſi ex pagellis publicis Heterodoxorum circa Bullam *Unigenitus* eloquentes, qui nitebantur in vetitum, ſuadentes rerum imperitis liberali commento, totas Gallias poſt Quenellum abire, penè omnes cordatos & oculatos Regni nuntium dediſſe Conſtitutioni *Unigenitus*, exceptis paucis Moliniſmi Fautoribus; ipſum Regem Ludovicum XIV. Glorioſæ Memoriæ Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ Patronum ſtudioſiſſimum Bullæ Pontificiæ reſtitiſſe in faciem; fræno Interdicti Regij coërcuiſſe ſcriptores Moliniſtas, ne Patrocinium Bullæ Clementinæ in ſe ſuſciperent: Caſuiſtas laxæ Moralis æmulos non niſi de nocte & ſub tremore Majeſtatis opuſcula ſua furtim diſſeminare &c. hinc non

Digitized by Google

ſuperfluum duxi, huic Tomulo tertio præmittere Privilegium Regis Chriſtianiſſimi, P. Paulo Lugdunenſi pro ejus libro Anti-Hexaplon non furtim, non ſubreptitiè, non de nocte ſed in conſpectu totius Regni conceſſum.

Tandem, ſi ſis Benevolus, veniam dabis, quòd tum in hoc tum in duobus prioribus Tomulis ſubinde utar vocabulis aut nominibus inuſitatis vel violentis inter Latinos, quandoque etiam nimiùm gallizantibus: tametſi enim eorum loco in promptu fuiſſent verba & vocabula magis trita, quia tamen quælibet nova hæreſis exorta etiam novis ſolet loqui linguis, novis ſe exprimere terminis, inde eſt, quòd frequentiùs me accomodaverim modis loquendi inter Gallos receptis, quamvis inter Latinos durè & impropriè ſonantibus. Haud illibenter me excuſabis, ſi attendas ad effatum Magni Auguſtini. *Reprehendi non debet, ſi occaſione novarum hæreſum aut Controverſiarum ad res diſtinctiùs explicandas nova uſurpentur nomina.* Vale.

Digitized by Google

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amez & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maitres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers & officiers qu'il appartiendra. Salut: Nôtre bien Aimé le PERE PAUL DE LYON Capucin, ancien Profeſſeur en Théologie, Nous a fait remontrer, qu'il déſireroit faire imprimer un Ouvrage qui a pour Titre: *Anti-Hexaples, ou Analyſe des cent & une Propoſitions du nouveau Teſtament du Pere Queſnel condamnées par nôtre Saint Pere le Pape Clement XI. pour ſervir de reponſe aux Hexaples, ou aux ſix colomnes ſur la Conſtitution* Unigenitus: s'il Nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilége, ſur ce néceſſaires: Nous avons permis & permettons par ces Preſentes audit Expoſant de faire imprimer ledit Livre, en tel-

le forme, marge, caractere, & autant de fois que bon lui ſemblera, par tel Imprimeur & Libraire qu'il voudra choiſir, & de le faire vendre, & debiter par tout nôtre Royaume pendant le temps de ſix années conſecutives, à commencer du jour, & datte deſdites Preſentes. Faiſons défenſes à toutes ſortes be Perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere en quelque lieu de nôtre obéïſſance, & à tous Imprimeurs, Libraires, & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, & contrefaire ledit Livre, en tout ni en partie, ſous quelque pretexte que ce ſoit ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des Contrevenans; dont un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, un tiers au Dénonciateur, & l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens dommages & interêts; à la charge que ces Preſentes ſeront enregitrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, & ce dans trois mois du jour en date deſdites Preſentes; Que l'impreſſion dudit Livre ſera faite dans nôtre Royaume, & non ailleurs, & ce conformement aux Reglemens de la Librairie; & qu'avant de l'expoſer en vente, il en ſera mis deux Exemplaires dans nôtre Biblioteque publique, un dans celle de nôtre Château de Louvre, & un dans celle de nôtre tres-cher & feal Chevalier Chancellier de France le Sieur VOYSIN, Commandeur de nos ordres, le tout à peine de nullité des Preſentes; du

contenu deſquelles vous mendons & enjoignons de faire joüir & uſer ledit Expoſant ou ſes ayans cauſe, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit cauſé aucun trouble ou empêchement : VOULONS que la copie d'icelles qui ſera imprimée au commencement ou à la fin dudit Livre ſoit tenuë pour bien & dûëment ſignifiée, & qu'aux copies collationées, par l'un de nos amez & feaux Conſeillers Secretaires, foi ſoit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier nôtre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion ; nonobſtant Clameur de Haro, Charte Normande, & outres Letres à ce contraires : CAR tel eſt nôtre Plaiſir. Donné à Verſailles le vingt-troiſiéme jour d'Aouſt, l'an de grace mil ſept cens quinze & de nôtre Regne le ſoixante-treiziéme. Par le Roi en ſon Conſeil.

LANGLOIS.

Summarium
Tomuli Tertij.
ANTI-HEXAPLÆ,
id eſt :

Sex Columnæ , contra ſex Columnas Authoris Anonymi ſuper Conſtitutione Unigenitus , in quibus fit Analyſis , ſive Reſolutio Propoſitionum centum-unius Patris Quenelli , quas nuper damnavit SS. D. N. Papa Clemens XI. â Propoſitione XLIV. incluſivè uſque ad Propoſitionem CI. incluſivè.

Digitized by Google

PROPOSITIO XLIV.

NOn ſunt niſi duo amores, unde naſcuntur omnes noſtræ voluntates, & omnes noſtræ actiones; amor Dei, qui facit omnia propter Deum, & quem Deus remuneratur. Amor noſtri-ipſius & mundi, qui non refert ad Deum, quod deberet ad ipſum referri, & qui ex hâc ratione fit malus.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

NOn ſunt niſi duo amores, unde naſcuntur omnes noſtræ voluntates, & omnes noſtræ actiones. Nimirùm *Verus* Amor Dei *divinus & ſupernaturalis*, qui facit omnia propter Deum, & quem Deus remuneratur. Amor noſtrî & mundi &c.

Ne hæreamus aut confundamur in terminis *Amor Dei & Charitas*, quo utroque hâc occaſione utuntur tum Quenellus, tum ejus Apologiſta, ſolerter obſervandum eſt, per terminum *Amor Dei* in genere ſubintelligi omnem motionem voluntatis, quæ fertur aut refertur ad Deum, quocunque demum modo referatur. Jam verò voluntas fertur ad Deum diverſis modis, quos omnes hîc explicare non vacat: illos duntaxat explanabimus, quorum intelligentia videtur Lectori neceſſaria ad quæſtionis præſentis propoſitum.

1. Voluntas fertur ad Deum vel habitualiter, vel actualiter, vel virtualiter. Voluntas fertur ad Deum habitualiter, quando exiſtente homine in ſtatu gratiæ

habitualis, diſpoſita eſt ad amandum Deum, & ad laborandum pro ejus gloriâ: Voluntas fertur ad Deum actualiter, quando homo actualiter producit actus charitatis, vel quando aliquid agit cum actuali intentione placendi Deo: tandem Voluntas fertur in Deum virtualiter, quando homo operatur aliquid in intentione placendi Deo, quam tamen actualiter non habet, ſed quæ moraliter perſeverat vi & virtute intentionis formalis actionem præcedentis.

2. Voluntas etiam fertur ad Deum vel immediatè & explicitè, vel mediatè & implicitè. Tunc intelligitur, Voluntatem ferri in Deum immediatè & explicitè, quando facit aliquid cum intentione vel virtuali vel actuali placendi Deo; tunc verò intelligitur ferri in Deum mediatè & implicitè, cùm aliquid agit ex motivo juſto, honeſto & rationabili, quod ex naturâ ſuâ *referibile ſit ad charitatem*, inquit S. Thomas: *(a)* exinde naſcitur famoſa illa diſtinctio apud Scholaſticos Catholicos, qui dividunt duos modos, quibus aliqua actio refertur ad Deum, nimirùm *ex fine operis, & ex fine operantis.* Ex fine operis, quando opus *ex naturâ ſuâ bonum* quodam modo includitur in eo, qui eſt eſſentialiter omne bonum. Ex fine operantis, quando agens formaliter agit ex amore Dei. Hinc poteſt dici exempli gratiâ, quòd ille, qui reſtituit rem alienam ex motivo juſtitiæ, ſuo modo Deum amet, partim quia diligendo hunc actum in ordine Dei, & utpote Deo gratum, voluntatem conformat cum voluntate Dei, partim quia aman-

[a] 1. 2, q. 19, a. 6, c.

do juſtitiam amat quodammodò ipſum Deum, qui eſt eſſentialiter ſuprema juſtitia. Quamobrem pro ſemel & ſemper benè notandum eſt, quòd amor juſtitiæ, honeſtatis & rationis ſit in certo ſenſu amor ipſiusmet Dei; nam teſte S. Auguſtino citato à S. Bonaventurâ, *(a) nihil aliud eſt Charitas, niſi amor boni.*

3. Voluntas humana poteſt ferri ad Deum vel tanquam ad Authorem naturæ, vel tanquam ad Authorem gratiæ & gloriæ. Quando fertur ad Deum tanquam Authorem naturæ, eſt amor naturalis & rationalis; quando fertur ad Deum ut Authorem gratiæ & gloriæ, eſt amor divinus & ſupernaturalis: de illo priore hîc potiſſimum & principaliter quæritur, an non excludatur in propoſitione Quenelli, vel inſimuletur tanquam vitioſus & peccaminoſus.

4. Diſtinguendæ ſunt cum D. Thomâ *(b)* duæ ſpecies amoris divini & ſupernaturalis; nimirùm amor amicitiæ, & amor concupiſcentiæ: amor amicitiæ eſt ille, quo diligimus Deum ex amore ipſiusmet Dei, tanquam ſummi Boni, ſuper omnia diligendi: amor concupiſcentiæ eſt ille, quo diligimus ſupremum Bonum, quod poſſidere cupimus.

5. Theologi ulteriùs dividunt amorem divinum in duas ſpecies: in amorem perfectum ſive dominantem, & in amorem imperfectum ſive incipientem: per priorem Deum diligimus ſuper omnia vel actualiter, ut cùm actus amoris hujuſmodi ſuper omnia reipſa elicitur, vel

(a) l. de. 7. itin. ætern.
(b) 1. 2. q. 26. a. 4.

habitualiter, ut cùm intrinſecùs ita ſumus diſpoſiti, ut nihil penitùs tali amori velimus præferre. Per poſteriorem non quidem diligimus Deum ſuper omnia, nihilominùs per illum ſaltem diſponimur ad facienda nonnulla modica ex amore Dei, vel actu ea exercemus.

De hoc utroque amore jam quæritur, utrùm ſint eſſentialiter diverſæ naturæ, vel utrùm inter ſe non differant niſi ſecundùm magis & minùs, hoc eſt, quòd unus ſit fortior vel infirmior altero. Janſenius cum diſcipulis ſuis prætendit, hos duos amores differre inter ſe non eſſentialiter, ſed duntaxat ſecundùm magis vel minùs virtutis, quam exercent in anima contra cupiditates. Si amor, inquiunt, infirmior ſit cupiditate, tunc eſt amor imperfectus, ſi verò ſit fortior, tunc eſt amor perfectus & dominans. Secundùm ipſos, quando Cupiditas dominatur ſupra amorem, tunc homo peccator eſt, & Dei inimicus, reus æternæ damnationis, tametſi reſiduos adhuc habeat quoſdam gradus Charitatis. Econtra quando amor dominatur ſupra cupiditatem, tunc homo eſt juſtus, Dei amicus, dignus vitæ æternæ, quamvis adhuc retineat nonnullos gradus cupiditatis. En magnificum illud principium, cui innituntur præcipui Novatorum errores; at principium falſum, erroneum, rejectum in omnibus ſcholis Catholicorum.

Peccatum mortale, ait D. Thomas *(a) non ſolùm diminuit charitatem, ſed ex toto deſtruit*, quia Charitas contraria eſt peccato *ſecundùm propriam rationem* & intrinſecum characterem, qui conſiſtit in hoc, quòd Deus diligatur per

(a) 2. 2. q. 24. a. 2. c.

illam ſuper omnia, & quòd homo totum, quod eſt, per illam ad Deum transferat cum plenâ ſubjectione ſui. Hæc virtus divina, inquit alibi S Thomas, *(a)* eſt ex ſeipsâ tam potens & valida, ut quantumvis minuta ſit, ſufficientes tamen vires habeat ad reſiſtendum omni concupiſcentiæ, ad evitanda univerſa peccata mortalia, & ſervanda omnia mandata Dei. *Minima enim charitas*, ait S. Doctor, *plùs diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti:* quando igitur charitas reſidet in corde hominis, tunc ibidem neceſſariò ſuprema eſt & Regina; quòd ſi in corde non dominetur, non regnet, tunc nullatenùs eſt in corde; & quidquid reſiduum ibi eſt, poſtquam illam peccator per delictum lethale expulit, certè nihil eſt charitatis, nec meretur nominari charitas, niſi modo valdè improprio.

Toto hoc poſito; examinemus impræſentiarum Quenelli propoſitionem, & videamus, quid ſibi velit ſub termino *Amor Dei & charitas.* Innegabile eſt, ipſum intelligere veram & propriè dictam Charitatem: non enim alium admittunt ſenſum ejus Propoſitiones, niſi manifeſtam illis inferas violentiam importunâ torſione: ne enim dicam, his terminis genericis *charitatis & amoris Dei*, quibus utitur Quenellus, ſecundùm communem & uſitatum loquendi modum intelligi veram charitatem, niſi fiat adjectio quædam limitativa, alium ſenſum intimans; etiam abſtrahendo ab hoc, nihilominùs Quenellus ſeipſum tam apertè explicat, quid intendat per

(a) 3. p. q. 62. a. 6. ad 3. & q. 70. a. 4. c.

charitatem & amorem Dei, ut nemini ambigere liceat de ejus mente. Amor Dei, de quo Quenellus loquitur, eſt amor, *qui facit omnia propter Deum, & quem Deus remuneratur:* jam verò nullus eſt amor, qui omnia faciat propter Deum, qui ſit meritorius, & quem Deus remuneretur, niſi amor verus & propriè dictus; ergò de vero amore, non de imperfecto & duntaxat inchoato hîc procedit quæſtio; quandoquidem amor ſeu charitas imperfecta & purè incipiens non faciat omnia propter Deum, nec Deus illam remuneretur; cùm enim non ſit vera & propriè dicta charitas, hinc ipſo facto neque eſt verè meritoria.

Itaque, cùm Quenellus proponit; *non ſunt niſi duo amores, unde volitiones &c.* per hæc vult dicere, quòd noſtra voluntas non alias poſſit habere motiones vel volitiones legitimas ac virtuoſas, niſi eas, quibus fertur ad Deum propter Deum per charitatem veram, divinam & ſupernaturalem: omnis alia motio voluntatis, cujuſcunque naturæ ſit, eſt penès ipſum vitioſa & inordinata; non ſolùm rationabilis amor erga ſe ipſum, naturalis Parentum teneritudo erga filios, amoroſa propenſio ſponſi ad ſponſam, amici ad amicum; non ſolùm amor juſtitiæ & honeſtatis, naturalis inclinatio creaturæ in Creatorem, quam nulla manus poteſt ex corde eradicare juxta Auguſtinum, eſt vitioſa & inordinata; ſed ne quidem ipſæ virtutes ſupernaturales & Chriſtianæ, nec Religio colens ſupremam Dei majeſtatem, nec fides captivum reddens intellectum in obſequium primæ Veritatis revelantis, nec ti-

mor Domini expaveſcens abyſſalia Dei judicia, nec ſpes aliquando fruendi ſummo bono deſiderato, nec pleræque aliæ virtutes boni quid continent: Hæc omnia mala & peccaminoſa ſunt, niſi ferantur ad Deum per veram & propriè dictam charitatem, vel, ut loquitur Janſenius, *per ſupremum Dei amorem*, & niſi charitas ſupernaturalis ſit omnium ſupradictarum virtutum & actionum principium & finis. *Nunquam enim*, teſtatur Quenellus cum ſuo Apologiſta, (a) *aliud principium intermedium agnoverunt SS. Patres, quod ſit inter charitatem & cupiditatem, inter amorem Dei & amorem mundi.* Hîc non diſpliceat brevis digreſſio ad primam propoſitionem Quenelli, quâ innuit, ut ſupra monſtratum eſt, omnia opera infidelium & peccatorum eſſe mera peccata; non ipſis remanere niſi generalem impotentiam ad laborem, ad orationem, ad omne opus bonum. Eccur iſtud? niſi quòd prætendat, nullum intercedere medium inter amorem Dei ſupernaturalem, & amorem mundi; niſi quòd velit, nullam dari bonitatem operis, ſi non procedat ex radice charitatis ſupernaturalis, quâ cùm infideles & peccatores careant, cùm juxta ipſum omnia ſua opera ex amore mundi vel ſuiipſius peccaminoso perficiant, hinc neceſſariò ſequi, nihil ipſis remanere niſi peccatum, niſi impotentiam ad omne opus bonum cujuscunque generis. Hanc eſſe mentem Quenelli manifeſtè patet ex alijs ejus Apophthegmatibus ſeu potiùs paradoxis. Quid enim verò dicere intendit Novator iſte, quandò pronuntiat,

(a) pag. 49. col. 4.

quòd peccator non ſit liber niſi ad malum ſine gratiâ Liberatoris ? utique amor ſupernaturalis eſt gratia Liberatoris, ſine quo cùm peccator non ſit liber niſi ad malum, ergò quidquid liberè operatur ſine hoc amore, peccatum & malum eſt. Idipſum inſinuat his & hujusmodi propoſitionibus : *non poſſumus eſſe niſi tenebræ, aberratio & peccatum ſine charitate. Omnia deſunt peccatori ; ſi ipſi deſit amor Dei. Non eſt Deus nec Religio, ubi nulla eſt charitas. Ipſa oratio impiorum novum eſt peccatum &c.* annon hæc dicere & docere eſt terminis patentiſſimis & expreſſiſſimis affirmare non duntaxat, quòd peccatores & infideles nihil aliud poſſint, quàm peccare, ſed &, quòd peccaminoſum & vitioſum ſit, quidquid non elicitur ex motivo amoris Dei ſupernaturali, tanquam principio & fine omnium bonorum operum cujuſcunque generis ? quis Quenelli verbis alium ſenſum tribuat ſine everſſione totius ſyſtematis Quenellini?

Dices fortè, hanc eſſe ſententiam SS. Patrum, quòd tota vita infidelium ſit peccatum continuum ; & quòd conſequenter totum ſit malum, quidquid non eſt bonum per amorem ſupernaturalem. Verùm ad hoc jam dudum reſpondit Seraphicus Bonaventura, (*a*) qui meliùs utique intellexerit SS. Patres quàm Quenellus, nimirum, quòd SS. Patres non voluerint omnes actiones infidelium per totam vitam eſſe peccaminoſas & demeritorias, ſed duntaxat, quòd per nullas ſuas actiones liberentur â peccato, quamdiu perſeverant in

(*a*) l. 2. diſt. 41. dub. 2.

infidelitate. Ut enim alibi loquitur (*a*) ſola fides eſt, quæ mundare poteſt à peccatis noſtris: hinc ſenſus verborum iſtorum, proſequitur S. Doctor, eſt talis, quòd nempe vita infidelium nunquam ſit ſine peccato; non autem, quòd omnes eorum actiones per totam vitam ſint peccata. Ergò multò minùs erunt peccaminoſæ illæ actiones infidelium, quæ procedunt non quidem ex amore Dei ſupernaturali, ſed naturali & rationali.

Inſtabis tamen, & dices, Patres Eccleſiæ docere; quòd perſona, quibuſcunque videatur, aut eſſe poſſit ornata bonis moribus, non niſi adulterinas virtutes habeat, quando ipſi deeſt agnitio veritatis & *Charitas*. Unde manifeſtè patet, ejuſmodi Perſonam in tali ſtatu non poſſe aliter quàm peccare. Ad hoc rurſum adeſt D. Bonaventura locis citatis, cum quo abſolutè negatur ſequela, ex tali deducta principio. Quæ eſt ratio negationis? ut eam benè capias adverteſis, quòd S. Doctor nos inſtruat, quandam virtutem dici *non veram*, in quantùm non eſt perfecta, & in quantùm caret vero & proprio effectu virtutis: ſicut vinum dicitur non eſſe verum vinum; quando non habet effectum veri vini. Nunc autem primus effectus virtutis eſt, nos abducere à malo, & facere, ut poſſimus evitare ejus pænam: ſecundus effectus virtutis eſt, facere, ut exerceamus bonum, & per illud mereamur gloriam æternam. Hoc poſito; quamvis bonæ actiones infidelium (idem ſentias de actibus peccatorum) poſſint habere priorem illam utilitatem, non ta-

(*a*) l. 4. diſt. 39. a. 1. q. 3. ad 2.

men poſteriorem : ex hâc ratione aſtruitur, infideles non habere veras virtutes, ſed tantùm falſas & adulterinas ; *non quia illa virtus ſit vitium* ; inquit S. Bonaventura, ſed quia non attingit ad veram perfectionem virtutis ; cùm vera & perfecta virtus ſit illa, quæ nos verè perducit ad vitam æternam. Reſponſio ſolida & definitiva, quæ ſedulò notanda pro explicatione maximè difficilium ſententiarum SS. Patrum, quos Author Hexaplarum adducit circa propoſitum de Charitate. Hæc digreſſio non cenſeatur ſuperflua, cùm plurimùm faciat ad demonſtrandum genuinum & naturalem ſenſum propoſitionis hîc examinatæ.

Quanti errores in uno ſyſtemate ! non omnes hoc loco refutandi ſunt, neque etiam omnes ordinatè refutarem, ſi promiſcuè tractarentur : ſufficiat, ſi hâc vice loquar duntaxat de virtutibus purè moralibus, de amore purè naturali, monſtrando tales dari, verè legitimas & laude dignas ; alibi immorabimur circa virtutes Chriſtianas, à Quenello uno ictu eliminatas, cùm eas ad ſolam reportet charitatem. Ordiamur monſtrando priùs more ſolito Conformitatem propoſitionis damnatæ cum doctrinâ hæreticorum.

§. II.

Conformitas Propoſitionis damnatæ cum Doctrinâ hæreticorum.

Calvin. antid. Conc. Trid. Seſſ. 6. can. 15. *Nihil purum & bonum eſt* coram Dei judicio, *niſi quod provenit ex ejus perfecto amore.*

Digitized by Google

Idem lib. 3. *inſtit. c.* 14. §. 3. Quoniam non reſpiciunt finem, quem præſcribit ſapientia Dei, *ideò quidquid faciunt ad ſpeciem optimum, illud peccatum eſt ex malo fine, quem ſibi proponunt.*

Chamier. lib. 4. *c.* 10. *n.* 25. Ad peccandum neceſſe non eſt, ut agatur pro diabolo; *ſufficit, ſi non agatur pro Deo.*

Bajus prop. 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas*, quâ mundus diligitur, quæ â Joanne prohibetur: *aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.*

Idem prop. 34. Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Auctor naturæ; & amoris gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, *vana eſt & commentitia*, & ad illudendum ſacris Literis, & plurimis veterum teſtimonijs excogitata.

Idem prop. 36. *Amor naturalis*, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſolâ philoſophiâ per elationem præſumptionis humanæ, *cum injuriâ crucis Chriſti*, defenditur â nonnullis Doctoribus.

Janſen. tom. 2. *lib.* 3. *c.* 19. *Nullum datur medium inter charitatem, & malignam cupiditatem.....* ſecundùm hanc definitionem cupiditatis, quæ eſt radix omnium malorum, S. Aug. dividit omnem voluntatem *& omnem volitionem in charitatem & cupiditatem vitioſam.*

Idem ibid. c. 20. S. Aug. docet tanquam rem veriſſimam, *nullam poſſe haberi actionem, quæ non ſit mala*, ſi etiam ipſamet juſtitia non ametur *ex cæleſti charitate, & ſi non*

referatur ad Deum ipſum, tanquam ad ſuum ultimum finem.

Idem cap. ſeq. Hæc eſt ratio, cur S. Auguſt. ſæpius doceat, nullam poſſe ſuperari tentationem, nec reſiſti ulli cupiditati, *niſi per charitatem* juſtitiæ, & *per verum Dei amorem.*

Idem tom. 2. lib. 3. cap. 3. Duplex hæc diſtinctio amoris juſtitiæ, unus naturalis, alter ſupernaturalis, eſt recenter excogitata, *debétque reïjci tanquam hæreſis Pelagij ....* nullum videtur veſtigium in omnibus operibus S. Auguſtini, nec in ullis antiquis Patribus, nec in ullo Concilio de famoſâ hâc diſtinctione Scholaſticorum amoris Dei naturalis & ſupernaturalis, ſed excogitata eſt â Philoſophiâ humanâ.

Propoſitio 7. inter 31. condemn. ab Alex. VIII. omnis actio humana libera vel eſt amor Dei, vel amor mundi. Si ſit amor Dei, *tunc eſt charitas Patris.* Si verò ſit amor mundi, *tunc eſt concupiſcentia carnis, & conſequenter maligna.*

§. III.

Probatur Veritas Catholica propoſitioni damnatæ oppoſita.

Quidquid hactenus diximus ad comprobandum, quòd infideles & peccatores poſſint exercere nonnullas actiones moraliter bonas abſque alio gratiæ adjutorio, huc reducendum eſt; nec enim fatigandus eſt benevolus Lector inſipidâ & inutili reiteratione rerum: ſatis erit hîc loci citâſſe reſidua quædam loca Patrum nec-

Digitized by Google

dum citata, quibus demonſtrabitur, quàm inſigniter deceptus vel enormiter mendax ſit Author Hexapl. cùm dicit, SS. Patres nihil unquam ſciviſſe de principio quodam medio inter charitatem ſupernaturalem & cupiditatem vitioſam.

Ex Patribus.

Aug. ſerm. 344. *de amor. Dei & Sac.* Amorem parentum, uxoris, filiorum non abſtulit, *ſed ordinavit.* Non dixit, *qui amat*, ſed qui amat *ſuper me.*

Idem. ſerm. 52. *de temp. c.* 1. Charitas alia eſt divina, alia humana: *alia eſt humana licita*, alia illicita.... Priùs ergò loquor de humana licita, *quæ non reprehenditur*; deinde de illicita, quæ damnatur: tertiò de divina, quæ nos perducit ad regnum. Licita eſt humana charitas, quâ uxor diligitur: illicita, quâ meretrix, vel uxor aliena..... *Liceat* igitur vobis humanâ charitate diligere conjuges, filios, amicos veſtros, cives veſtros: verùm videte, quòd iſta charitas poſſit vobis eſſe communis cum impijs, cum paganis, cum Judæis, cum hæreticis:

Id. hom. 38. *inter* 50. Remove ergò iſtos amores, (illicitos, id eſt amores impudicos) quæramus licitos. *Incipit amor licitus* à conjugio; ſed adhuc carnalis eſt: *ſecundus amor* (licitus) *filiorum eſt*; ſed adhuc carnalis eſt.

Ibid. cap. ſeq. Sunt homines, qui pariter mala committunt; & ideò ſibi videntur conjuncti, quia conſcientiâ malâ ligati ſunt. Exceptâ illâ nefariâ amicitiâ eſt quædam amicitia adhuc carnalis per conſuetudinem coha-

bitandi, colloquendi ſimul.... *honeſta quidem*, ſed adhuc diſcutiamus eam..... Eſt & alia ſuperior amicitia, non conſuetudinis; ſed rationis, quâ diligimus hominem propter fidem, & mutuam benevolentiam in iſtâ vitâ mortali: *At ſuperius, quidquid jam invenitur, divinum eſt. Reſp.* Si ſecundùm S. Auguſtinum honeſta eſt amicitia conſuetudinis, multò magis erit honeſta rationis amicitia; quarum tamen nullam reponit in ordine amoris divini.

Idem ep. 121. *de orand. Deo. c.* 5. Vide jam, quæ homines *non indecenter* velint: Alius vult conjugari, alius conjugio viduatus deinceps continenter eligit vivere; alius nullum concubitum nec in ipſis nuptijs experiri. Et aliud hîc alio *melius* reperitur; nullum tamen iſtorum poſſumus dicere *indecenter aliquid velle*..... Virgines habent charos & charas, quibus *non indecenter* optant etiam temporalem ſalutem.

Id. qq. ex utroque mixtim q. 95. Nemo inveniri pôteſt, qui benè faciat ſemper, *aut malè. Reſp.* Si nullum detur medium inter charitatem ſupernaturalem & malam cupiditatem, non difficile erit, invenire, qui ſemper malè faciant.

Id. l. 3. *de lib. arb. c.* 23. Non metuendum eſt, ne vita eſſe potuerit *media quadam* inter rectè factum atque peccatum: & ſententia judicis *media* non poſſit eſſe inter præmium atque ſupplicium.

Idem Hypog. l. 3. *c.* 4. Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis: non propter quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent ſine Deo aut inchoare, aut certè peragere; ſed

tantùm *in operibus vitæ præſentis tam bonis, quàm etiam malis*: bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur: ut, velle laborare in agro, velle bibere & manducare, habere amicos, veſtes, velle exſtruere domum, ducere uxorem, paſcere gregem, diſcere artem bonam, verbo; quodcunque bonum, pertinens ad vitam præſentem &c.

Proſp. l. 3. *de vit. contempl. c.* 25. Taceo de carnali amore, qui incipiens à conjugio manat in filios.... Propinquorum etiam prætereo..... Nec de illo aliquid dico, quo etſi amicos amamus, non tamen ipſe refertur ad aliquod commodum temporale: *Non quòd hi amores honeſti non ſint*, cùm ſint omnibus naturales; ſed quòd his omnibus ſit ille incomparabili diverſitate præſtantior, quo Deum diligimus gratìs & amicum.

Greg. Mag. hom. 27. *in Evang. Joan.* 15. *v.* 12. Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, ſed per affectum cognationis & carnis: quibus tamen in hac dilectione *ſacra eloquia non contradicunt.* Sed aliud eſt, quod ſponte impenditur naturæ, & aliud, quod præceptis dominicis *ex charitate debetur obedientiæ.*

Guill. Ab. l. de Nat. & dign. Amor. c. 7. Amor parentum in ſcripturis *non multùm* commendatur, imò ne ſit nimius, coercetur. *Reſt.* Nec tamen ut vitioſus damnatur.

Laur. Juſt. l. de lig. vit. de char. c. 13. Amor triplex eſt, gratuitus, naturalis, & vitioſus: *Amor naturalis nec laudabilis, nec vituperabilis eſt*, & habet finem indigentiam vel utilitatem propriam.

Digitized by Google

Oger. Ab. ſerm. 5. *in Cana Domini.* Eſt quidam amor bonus, & eſt quidam amor malus, & amor medius. Amor bonus ipſa charitas eſt, quâ diligimus Deum ſuper omnia..... Amor malus eſt charitatis inimicus, ut puta cænoſus. Amor *medius* eſt, qui nec *charitati* connectitur, nec amore cænoſo fædatur; ſicut amor filiorum, parentum, & aliarum rerum, quæ juſtè & ſine periculo poſſidentur.

D. Thom. 1. *p. q.* 60. *a.* 1. *ad.* 3. Sicut cognitio naturalis ſemper eſt vera, ita *dilectio naturalis ſemper eſt recta;* cùm amor naturalis nihil aliud ſit, quàm inclinatio naturæ indita ab auctore naturæ. Dicere ergò, quòd inclinatio naturæ non ſit recta, *eſt derogare Auctori naturæ.* Alia tamen eſt rectitudo naturalis dilectionis, & alia eſt rectitudo charitatis & virtutis; quia una rectitudo eſt perfectiva alterius.

Idem 1. 2. *q.* 109. *a.* 3 *c.* Homo in ſtatu naturæ integræ poterat operari *virtute ſua natura* bonum, quod eſt ſibi connaturale abſque *ſuperadditione gratuiti* doni.

Et infrà. Ideò dicendum, quòd homo in ſtatu naturæ integræ *non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis*, ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia. *Reſp.* Ergò falſum eſt, hominem nihil boni facere poſſe, niſi ex principio charitatis ſupernaturalis.

Idem 2. 2. *q.* 19. *a.* 6. *c.* Amor ſui tripliciter ſe habere poteſt ad charitatem: Uno enim modo contrariatur charitati, ſecundùm quod aliquis in amore proprij boni finem conſtituit. Alio verò modo in charitate inclu-

ditur, ſecundùm quod homo ſe propter Deum & in Deo diligit. Tertio modo *á charitate quidem diſtinguitur,* ſed charitati non contrariatur: puta, cùm aliquis diligit ſe ipſum ſecundùm rationem proprij boni; ita tamen, quòd in hoc proprio bono non conſtituat finem.

Idem ibid. Sic etiam & ad proximum poteſt eſſe aliqua alia ſpecialis dilectio, *præter dilectionem charitatis,* quæ fundatur in Deo; dum proximus diligitur ratione commoditatis, conſanguinitatis, vel alicujus alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis ſit ad charitatem. *Reſt.* Id eſt, datur charitas, quæ ex ſeipſa non eſt mala.

Ibid. q. 25. *a.* 7. *c.* Dicendum, quòd amare ſeipſum uno modo *commune eſt omnibus*; alio modo proprium eſt bonorum; tertio modo proprium eſt malorum.... Omnes homines *boni & mali* diligunt ſeipſos, in quantum diligunt ſui ipſorum conſervationem.

D. Bonav. l. 2. *d.* 28. *a.* 2. *q.* 3. Opus bonum dicitur tripliciter; quod ex ſe eſt ordinatum ad finem, hócque eſt meritorium; quia eſt cum charitate: Aliud, quod diſponit congruè ad bonum, quod fit extra charitatem: Tertium, quod eſt *ordinabile ad finem, habétque in ſe aliquam ordinationem*, ſive ex tranſitu ſuper materiam debitam; ſicut paſcere eſurientem; ſive ex debitâ circumſtantiâ ſuperadditâ: Videlicet cùm hoc facit, cùm exigit tempus & locus & opportunitas. Ad iſtud autem genus boni complendum etſi gratia gratìs data ſit neceſſaria, ad hoc, ut fiat faciliter; *circumſcripto tamen omni munere gratiæ, &*

libero arbitrio relicto in puris naturalibus, per naturale judicatorium & inſtinctum poſſet in tale bonum ferri, Deo ſibi cooperante, ſicut cooperatur alijs creaturis.

Idem l. 3. 6. 34. p. 2. a. 1. q. 2. ad 4. Ex amore naturali poteſt homo peccator ſeipſum *ſine ipſo peccato amare*, & mala ſua fugere ſive præſentia ſive futura: & ex tali amore timor ſervilis habet procedere. Si enim homo ſeipſum amat, ad hoc, ut acquirat ſalutem, & extimeat æterna tormenta incurrere; talis affectio amoris, *quamvis non ſit ex Charitate, poteſt tamen eſſe absque libidine.*

Id. centiloq. 1. p. c. 25. Tripliciter autem diſtinguitur amor, ſcilicet amor gratuitus, libidinoſus, & naturalis. Gratuitus habet finem principalem ſummum bonum. Libidinoſus habet finem voluptatem, ſeu delectationem in creaturâ: naturalis habet finem neceſſitatem ſeu utilitatem propriam. Primus eſt laudabilis, quia virtus: ſecundus vituperabilis, quia peccatum: tertius *nec laudabilis nec vituperabilis*, quia naturalis.

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

JAm reſpondimus pleriſque & præcipuis hæreticorum objectionibus circa præſentem quæſtionem: hoc paragrapho occurrendum eſt duntaxat locis Scripturæ & Patrum, quibus abutitur Author Hexapl. in tutelam & juſtificationem ſpecialem ſingularum propoſitionum Quenelli.

1. *Object.* Patres dicunt, duos dari amores, unde naſcuntur omnes voluntatis motus & propenſiones;

Digitized by Google

amor Dei, & amor mundi vel ſui ipſius : Charitas & cupiditas : amor mundi & ſuiipſius, inquiunt Patres, nihil niſi malum continet, ac generat Dei oblivionem : amor Dei nihil niſi bonum complectitur, ac producit intra nos contemptum noſtrî ipſius : hi ſunt, ni fallor, formales termini propoſitionis Quenelli.

Reſp. Propoſitio Quenelli plurimùm diſtat à propoſitione Patrum : Patres Eccleſiæ non docent, uti Quenellus; *non ſunt niſi duo amores &c.* dicunt ſimpliciter : *duo ſunt amores.* Ex quo patet, ipſos non excludere principium medium inter charitatem ſupernaturalem & cupiditatem vitioſam, quale medium eſt, amor naturalis & rationabilis : ſi deinde affirmant, omnes noſtras volitiones naſci ex uno vel altero duorum amorum, intelligendi ſunt in ſenſu ſano & accomodo, ſumendo terminum *omnes*, quaſi dicerent, *penè vel propemodùm* omnes volitiones; compertum eſt enim, quòd homo *propemodùm* nihil operetur niſi vel ex charitate ſupernaturali vel ex cupiditate malignâ : Quòd ſi verò omnes penitùs actiones peccatorum ſint vitioſæ, nullâ exceptâ, eò quòd cupiditas dominetur in ipſis, neceſſariò inde ſequeretur, etiam omnes actiones juſtorum, in quibus regnat charitas, indiſpenſabiliter fore bonas; ſequeretur juſtos nunquam poſſe peccare, ne quidem venialiter. Num veriſimile eſt, SS. Patres ſimile quid cogitâſſe, ne dicam pronuntiâſſe? ergò inferendum, quòd per terminum *omnes* nolint omnes omninò volitiones nullâ exceptâ, ſed *penè* ſed *propè* omnes hominum volitiones.

Digitized by Google

Patet deinde ex præcipuo textu S. Auguſtini, citato ab Authore ſex Columnn. quòd S. Doctor non excludat omne aliud principium noſtrarum volitionum inter charitatem divinam & cupiditatem peccaminoſam. „ Hi „ duo amores, inquit Auguſtinus, *(a)* ſunt duæ plantæ, „ quæ plantantur in duobus agris à duobus diverſis „ Agricolis: Chriſtus ponit primam, quæ eſt charitas in „ corde piorum; & dæmon ponit ſecundam, quæ eſt cu- „ piditas in corde impiorum. „ Hoc loco S. Doctor non excludit tertium Agricolam, qui nec eſt diabolus, nec Chriſtus quatenus Redemptor, videlicet Deum Creatorem; ergò manifeſtè patet, quòd neque excludat tertiam plantam, quam tertius Agricola ponit in cordibus hominum, nimirum amorem naturalem & rationabilem, qui eſt principium actionum moraliter bonarum, quas peccator poteſt elicere etiam ſub dominio violentiſſimæ cupiditatis.

2. *Object.* Patres dicunt, impoſſibile eſſe, voluntatem hominis taliter affectam & diſpoſitam reperiri, ut nec bona nec mala ſit: atqui voluntas non eſt bona niſi per charitatem divinam & ſupernaturalem, neque eſt mala niſi per cupiditatem malitioſam: ergò *non ſunt niſi duo amores*, divinus, qui reddit voluntatem bonam; & vitioſus, qui reddit malam.

Reſp. Verum eſt, quòd voluntas humana ſit vel habitualiter bona, vel habitualiter mala, & hoc quidem aut per charitatem ſupernaturalem, aut per cupiditatem peccaminoſam: poteſt tamen hæc eadem voluntas

(a) Serm. 113. de temp. in app.

alternatim eſſe bona vel mala actualiter ex diverſis principiis; & quemadmodum bona voluntas juſtorum poteſt eſſe actualiter mala, quòd reſiduam habeat cupiditatem; ſic mala voluntas peccatorum poteſt eſſe actualiter bona, quòd reſiduam habeat inclinationem naturaliter bonam, quam vitioſa cupiditas non totaliter extirpavit.

3. *Object.* Anima humana, uti teſtantur SS. Patres, nequit eſſe & vivere ſine amore, ſine aliquâ annexione, ac neceſſariò ſuos amores dirigit ad objectum quoddam: jam cùm hæc anima ſtet media inter Bonum ſummum, à quo formata eſt, & inter bonum infimum ſeu terreſtre, quod ſuâ elevatione tranſcendit; idcircò neceſſe eſt, ajunt, ut anima fiat miſerabilis adhærendo bonis infimis; vel ut fruatur plenâ felicitate adhærendo bonis ſupremis, nimirùm Deo tanquam ſummo bono: igitur nullum intercedit medium inter cupiditatem vitioſam, quæ annectitur bonis terreſtribus, & inter charitatem ſupernaturalem, Deo ſummo bono annexam, niſi ipſa anima.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Reſp. Ita eſt: anima nequit eſſe aut vivere ſine amore, ſine adhæſione; verùmtamen poteſt adhærere objectis ſuorum amorum diverſimodè: ſi alligatur objecto in ſe malo, vel ſi quieſcit in tali objecto tanquam ultimo fine, neceſſe eſt, eam fieri miſerabilem & peccaminoſam; & hoc eſt, quod intendebant SS. Patres: ſi verò alligatur objecto in ſe bono, honeſto & licito, nec in eo quieſcit tanquam ultimo fine, tunc inde non evadit nec miſera-

bilis nec peccaminoſa, ſed ex hoc ipſo ſit laude digna. Quamvis enim non adhæreat Summo Bono explicitè & immediatè, ſaltem ipſi adhæret implicitè & mediatè, cùm nihil diligat, quod non referatur ad ſummum bonum eo modo, quem explicavimus ſuperiùs in primo paragrapho.

§. V.

Qualificatio propoſitionis damnatæ.

HÆc propoſitio ſecundùm terminos in libro Quenelli expreſſos eſt falſa, erronea, hæreſi proxima, jam damnata.

1. Eſt *falſa*, eò quòd ratio & experientia, Scripturæ & Patres doceant, intra nos dari principium volitionum, quod neque ſit divina Charitas, neque mundana & vitioſa cupiditas.

2. Eſt *erronea*, quia ſaltem mediatè revelatum eſt, ac evidenter deducendum ex pluribus Scripturæ textibus, quòd operemur actiones, quæ neque ſunt effectus charitatis, nec cupiditatis.

3. Eſt *hæreſi proxima*, partim quia videtur, per eam omnes virtutes reduci ad ſolam charitatem, partim quia condemnat omnia bona opera, quæ fiunt ante juſtificationem, ante charitatem divinam & ſupernaturalem, quæ juſtificat peccatorem.

4 Eſt *jam damnata* à Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. & Alexandro VIII. cæteri autem errores, hâc propoſitione comprehenſi, apparebunt in Analyſi aliarum propoſitionum, quæ præſentem eſſentiali relatione reſpiciunt.

Digitized by Google

PROPOSITIO XLV.

AMore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnéſque actiones ejus corrumpat.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

AMore Dei *vero divino & ſupernaturali* in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis & *vitioſa* regnet cupiditas, omnéſque ejus actiones corrumpat.

Hæc propoſitio naturaliter fluit ex præcedente, vel potiùs eſt eadem propoſitio aliis terminis concepta: profectò ſi non ſint niſi duo amores, ex quibus naſcuntur omninò omnes volitiones bonæ vel malæ, vera & ſupernaturalis charitas, vel amor inordinatus mundi ac ſuiipſius; tunc utique manifeſtè patet, quòd abſente charitate ſupernaturali non idonei ſimus, niſi ad malum & peccatum: porrò hujuſmodi charitas non eſt in corde, ſi non regnat in corde, ut jam ſupra notatum eſt: nam eſſentialis ejus character conſiſtit in hoc, quòd vires habeat omnibus rebus mundanis ſuperiores: ergò quando in corde nec eſt, nec regnat, neceſſariò ſequitur, omnes noſtras actiones eſſe corruptas & peccaminoſas.

Non jam recurrat Quenellus ad ſyſtema Chimericum Janſenij, volentis, quòd, licèt cupiditas regnet in corde hominis propter peccatum mortale, nihiloſeciùs ibi remaneant minuti quidam gradus charitatis, quibus

Digitized by Google

peccator poſſit exercere nonnullas actiones bonas; non, inquam, recurrat Quenellus ad tale ſyſtema, quandoquidem ipſemet expreſsè proſcribat ex corde peccatoris, cui prædominatur cupiditas, hujuſmodi reliquias Charitatis languidæ atque infirmæ. Eccur proſcribit? idcircò, quia ſecundùm Quenellum peccator, in quo regnat cupiditas, omni prorſus caret potentiâ ad operandum bonum, adeò, ut neceſſe ſit, omnes ejus actiones corrumpi: atqui juxta Janſenium illa potentia, quæ adhuc remanet in peccatore ad exercitium boni, nihil aliud eſt, quàm talis infirma & languida charitas etiam poſt peccatum retenta; Ergò Quenellus excludit hanc charitatem, ſeu has reliquias charitatis languentis & invalidæ, eò quòd talem potentiam adæquatè excludat: ratiocinium iſtud eſt demonſtrativum.

Author ſex Columnarum proteſtatur: „ Viſibile „ eſt, inquit, (*a*) hanc propoſitionem intelligendam eſ„ſe eâ æquitate & moderatione, quâ intelliguntur plu„rimæ ſimiles Patrum expreſſiones. In exemplo. S. Gre„gorius teſtatur, quòd ille, qui rerum terrenarum amo„re captus & victus eſt, non ampliùs ſapiat, quæ Dei „ ſunt; nullas ſpirituales deguſtet delicias: quemadmo„dum Magnus hic Pontifex, ſic quoque Quenellus no„luit, hominem, in quo dominatur cupiditas, nullo „ modò, nullas omninò ne quidem debiliſſimas retinere „ divini amoris reliquias; ſed voluit uterque his expreſ„ſionibus intimare ſolúmmodò, quòd hi duo amores „ inſtar Antagoniſtarum ad invicem digladientur, nec in „ unâ ſede morentur regno pacifico.

(*a*) pag. 51 col. 4.

Digitized by Google

Lynceis indiges oculis, ut deprehendas ſenſum tam in S. Gregorij, quàm Quenelli propoſitione, quem Apologiſta utrobique indigitare nititur: potiùs & æquiùs dicam, captus es oculis mentis internis, vel ſaltem luſcus es intellectualiter, ſi non deprehendas in expreſſione Apologiſtæ ſenſum peregrinum ab illo, qui in propoſitione tam S. Gregorij, quàm Quenelli naturaliter occurrit homini ſenſato. Quis enim homo ſanæ mentis, audiens S. Gregorium; quòd, *qui victus eſt ab amore rerum terrenarum, nullas in Deo deguſtet delicias*; Quis, inquam, hæc audiens non continuò percipit, S. Pontificem velle dicere, quòd peccator mortalis non ampliùs Deum diligat, divina ſapiat, cùm nemo poſſit guſtare, quàm ſuavis ſit Dominus, niſi per dulcedinem veræ, divinæ & ſupernaturalis charitatis, quâ peccator mortalis vacuus eſt? nónne hic eſt ſenſus proprius & naturalis Sententiæ Gregorianæ? potéſtne deſuper alia Idea præoccupare intellectum hominis integri? pariter, quando legitur in Quenello, *quòd, cùm in homine regnat carnalis cupiditas, neceſſe ſit, omnes ejus actiones corrumpi*; Quis prudens lector vel obiter ad rem attentus non ſtatim intelligit, omnes actiones & motus in homine, in quo regnat cupiditas, eſſe corruptos, id eſt peccaminoſos, pravos & malos; quod neceſſe eſt corrumpi, potéſtne non corrumpi? & quod non poteſt non corrumpi, nónne ſemper corrumpitur? ergò ut cæcus de colore judicat, qui ſæpéfatæ propoſitioni Quenelli alium ſenſum quàm mox allatum appropriat.

§. II.

Reſpondetur Objectionibus.

Object. EVangelium dicit; Nemo poteſt duobus dominis ſervire; Deo ſimul & Mammonæ: vel enim unum odio habebit & alterum diliget, vel uni adhærebit, & alterum contemnet: huc etiam ſpectat illud Auguſtini; *qui noluerit ſervire Charitati, neceſſe eſt, ut ſerviat iniquitati*; jam qui verſatur in ſtatu peccati mortalis, & in quo regnat cupiditas, ille non ſervit Deo neque charitati: Ergò neceſſe eſt, eum in omnibus ſervire iniquitati & cupiditati.

Reſp. Si neceſſe eſt, ut qui exiſtit in ſtatu mortali, & in quo dominatur cupiditas, in omnibus deſerviat iniquitati, tunc ſequitur exinde cum paritate rationis, quod jam ſæpius inculcatum eſt, videlicet in ſtatu gratiæ exiſtentem neceſſariò & in omnibus ſervire Charitati, nec poſſe ampliùs ſervire iniquitati, quod tamen vel ipſis Janſenianis patenter falſum eſt: non igitur eſt talis ſenſus Scripturarum & Patrum, qualem vult Apologiſta. Senſus Scripturæ eſt, quòd qui peccaminosè & inordinatè ſervit & adhæret Mammonæ, non poſſit verè ſervire & adhærere Deo, & quòd talis adhæſio ſive ſervitus divitiarum ſit incompatibilis cum vero Dei amore: ſimiliter cùm S. Auguſtinus dicit, *qui noluerit ſervire &c.* intelligit, quòd ille, qui renuit ſe Deo ſubijcere per charitatem, neceſſariò ſubjectus ſit diabolo per iniquitatem, & quòd habitualiter ſit mancipium & victima iniquitatis juxta illud, *qui peccat, ſervus eſt peccati.*

§. III.

§. III.

Qualificatio propoſitionis damnatæ.

HÆc propoſitio eſt ſcandaloſa, formaliter hæretica, & jam damnata.

1. Eſt *Scandaloſa*, quia peccator perſuaſus, omnes ſuas actiones ex regnante peccato & cupiditate eſſe neceſſariò corruptas, pravas & inordinatas, ſumit inde occaſionem ruinæ ſpiritualis, ſéque præcipitandi in vitia quæcunque, laxandi frænum omnibus paſſionibus & concupiſcentiis, prolabendi in profundum deſperationis & impœnitentiæ.

2. Eſt *formaliter hæretica*; quia de numero bonorum operum excludit formaliter omnes bonas actiones, juſtificationem præcedentes, in quâ juſtificationis horâ cupiditas perdit ſuum prædominium in animâ peccatoris.

3. Hæc propoſitio eſt *jam damnata*, cùm ſit quadrageſima Michaëlis Baii, fermè iiſdem concepta terminis: *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.*

§. IV.

Alij ſenſus & errores, qui continentur in propoſitione.

NEceſſe non eſt multâ ſpeculatione, ut penetres mentem Quenelli, volentis hâc pronuntiatione firmare neceſſitatem peccandi ſub dominio cupiditatis: res patet ad oculum; ſenſim timeo moleſtus fieri, toties Lectori refricando eaſdem reflexiones: puto tamen non in-

congruum fore, ſi advertas, quòd Quenellus hâc propoſitione tentet inſimul inſinuare erroneum dogma de juſtitiâ inamiſſibili, quod jam alibi inſuſurraverat: vel ſaltem tale dogma hæreticum effluit naturaliter ex ejus propoſitione.

Si enim regnante cupiditate in corde peccatoris neceſſe ſit, ut omnes ejus actiones corrumpantur; certè conſequitur ex paritate rationis, ut ſupra diximus, quòd charitate dominante in corde juſti neceſſe ſit omnes ejus actiones purificari: hoc eſt, omnia ejus opera fieri bona & virtuoſa. Poſito hoc duplici principio, profectò non ſequitur, peccatorem non poſſe ſe ad Deum convertere; poſſet enim à Domino obtinere gratiam actualem, mediante quâ introduceretur charitas dominans in cor ejus, vel, ut cum Janſenianis loquar, quâ gratiâ actuali augmentarentur gradus charitatis in corde jam exiſtentis, uſque dum recuperaret imperium ſupra cupiditatem. Sed neceſſariò inde ſequitur, peccatorem non poſſe ultra peccare, nec per conſequens juſtitiam perdere: penès Quenellum enim juſtus nequit peccare, niſi quando cupiditas dominatur in corde ſupra charitatem: atqui nihil in mundo eſt ſatis validum, quod poſſit cupiditati tradere dominium ſupra charitatem in corde juſti prædominantem, ergò juſtus non poterit ultra peccare.

Innegabile eſt, nihil eſſe in mundo ſat validum & potens, quod poſſit cupiditati tradere imperium in charitatem juſti: Quid enim id eſſet? vel ipſe Deus tradens cupiditati imperium in charitatem, vel voluntas juſti,

vel

vel tandem ipſamet cupiditas ſubjugans charitatem? neutrum poteſt dici: non utique Deus, niſi ſis blasphemus; ſecùs enim eſſet Author peccati, tradens cupiditati dominium in gratiam & charitatem: nec voluntas juſti; nam juxta Quenellum voluntas juſti non poteſt reſiſtere gratiæ; deinde talis reſiſtentia non fieret niſi per eminentiam & ſuperioritatem cupiditatis validiorem, quàm ſit ipſa gratia: tandem neque cupiditas ſubjugando charitatem dominantem; nunquam enim quod eſt debilius, alligabit aut ſubjugabit, quod eſt fortius: ergo ſequitur manifeſtè, nihil eſſe in mundo aſſignabile, quod Charitatem in corde juſti tradat cupiditati, & per conſequens juſtus, in cujus corde regnat charitas, deinceps peccare haud poterit, nec juſtitiam perdere. Hæ ſunt conſecutiones illæ hæreticæ, quas ex principiis Quenelli colligimus.

PROPOSITIO XLVI.

CUpiditas aut charitas uſum ſenſuum bonum vel malum faciunt.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

S*Emper* vel cupiditas vel charitas uſum ſenſuum bonum vel malum faciunt.

Hic eſt indubitanter genuinus ſenſus præſentis propoſitionis: non enim arbitrandum eſt, Quenellum hoc loco voluiſſe aſſeverare id, quod eſt veriſſimum, neminique ambiguum, videlicet, uſum ſenſuum ex charitate

adhibitum eſſe bonum & meritorium; écontra uſum ſenſuum, ex cupiditate exercitum, eſſe malum & peccaminoſum. Vult ergò dicere Quenellus, ut evidens eſt ex hoc principio, quòd ſi uſus ſenſuum non reguletur per motivum ſeu motum veræ charitatis divinæ & ſupernaturalis, quòd, inquam, tunc reguletur per motivum & motum pravæ cupiditatis. Hæc enim juxta Quenellum ſunt ſola & unica principia, ex quibus naſcuntur omnes noſtræ volitiones: eápropter omnis homo, qui exercuerit qualemcunque actionem exteriorem ex alio motivo, quàm ex motivo charitatis divinæ & ſupernaturalis, qui declinaverit inimicum ob evitandum mortis vel vulneris periculum, qui fuerit ſobrius conſervandæ ſanitatis gratiâ, caſtus & modeſtus ex æſtimatione decoris & honeſtatis, largus & liberalis erga pauperes ex affectu compaſſionis, qui ſteterit promiſſis, ſervaverit datam fidem ex ſtimulo probitatis & æquitatis, qui portaverit tolleranter onera & defectus proximi ex laudabili, politicâ, vel ſanâ ratione, qui cuſtodiêrit mandata Dei ex timore gehennæ &c. Homo iſte, inquit extaticus noſter Aſceta Quenellus, neceſſariò peccabit. Inſignem hanc Theologiam docet & inſinuat ſuâ propoſitione *captioſâ.* Occurramus textibus, quibus Apologiſta conatur eam defendere.

§. II.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *object.* DOcet S. Auguſtinus, neminem benè frui & uti creaturis, niſi illis utatur & fruatur per charitatem, totúmque, quod benè amamus, amari per

charitatem : ergò cùm non utimur creaturis per charitatem, cùm non amamus ex charitate, ille uſus eſt malus, ille amor eſt vitioſus.

Reſp. S. Auguſtinus non vult dicere, omnem penitùs uſum creaturarum, qui non ſit ex charitate, eſſe abſolutè malum & peccaminoſum, ex quocunque alio motivo fiat; ſed vult dicere, quòd talis uſus non ſit completè & perfectè bonus, duabus ex cauſis. 1. Quia non eſt bonus in ordine & reſpectu ad nos, cùm non ſit meritorius æternæ gloriæ. 2. Quia non eſt bonus reſpectu ultimi finis, ad quem deberent omnia formaliter referri: quod tamen minimè impedit, ne talis uſus ſit & maneat verè bonus, ſi ſit honeſtus ex ſe & rationabilis, & ſi ordinetur ad aliquod bonum particulare, quod poſſit tanquam verum bonum ordinari ad bonum univerſale & infinitum. *Unum quidèm, quod eſt verè bonum*, inquit D. Thomas *(a) utpote ordinabile, quantum eſt in ſe ad principale bonum, quod eſt ultimus finis.*

„ Quando igitur, proſequitur S. Thomas, *(b)* uſus „ creaturarum refertur ad bonum particulare, quod ſit „ verum bonum, exempli causâ, conſervatio Civitatis, „ vel quid ſimile, hic uſus *erit quidem vera virtus*, & verè „ bonus, ſed imperfectus; id eſt, non perfectè bonus, „ quòd non ſit formaliter relatus ad ultimum finem. " En quid velit S. Auguſtinus dicendo; nos non benè uti creaturis, nec benè amare niſi ex charitate.

2. *Object.* S. Auguſtinus nec non alii Patres Eccleſiæ

(a) 22. q. 23. art. 7.

(b) 2. 2. q. 23. art. 7.

dicunt, quòd ſola charitas non peccet: ergò quidquid fit ex alio motivo, erit peccatum.

Reſp. Patres dicunt, quòd ſola charitas non peccet; intellige, quòd ſolâ charitate non poſſimus abuti: certum eſt enim, nos poſſe abuti omnibus aliis virtutibus etiam ſupernaturalibus, fide, ſpe, ſolâ exceptâ charitate: abutimur fide, vel operando contra ejus lumina & illuſtrationes, vel eâ utendo ad malum, ut faciunt ſagæ, quibus fides deſervit ad ſacrilega præſtigia. Abutimur ſubinde ſpe per præſumptionem de divinâ Miſericordiâ: Sola charitate nemo poteſt abuti, quæ in hoc ſenſu ſola non poteſt peccare: nunquam enim Deus per exceſſum amatur, nec unquam aliquis amorem Dei verum uſurpat ad faciendum malum.

3. *Object.* S. Auguſtinus ulteriùs aſſerit; *quodcunque ab homine fit, id fit vel ex amore Creatoris vel creaturæ:* id eſt, vel ex cupiditate vel charitate: ergò Quenellus verax eſt, ac viam Dei in veritate docet, teſtando, quòd vel cupiditas vel charitas ſemper uſum ſenſuum reddat aut bonum aut malum.

Reſp. Poſt tot citatas authoritates S. Auguſtini nullus rationabiliter dubitaverit, S. Doctorem admiſiſſe quoddam aliud principium noſtrarum actionum, quod non ſit neque vera & ſupernaturalis Charitas, neque vitioſa cupiditas: ne ergò S. Pater arguatur de contradictione, intelligendus eſt aliquando de charitate non divinâ & ſupernaturali, ſed de amore quodam juſto & rationali, qui ſuo modo ſit referibilis ad Deum tanquam Juſti-

tiam

tiam & Rationem Supremam. Convincens teſtimonium, quòd S. Doctor talem amorem creaturarum juſtum & rationalem non condemnet, habemus ex ipſo S. Auguſtino ab Authore Hexapl. citato: poſtquam enim S. Doctor affirmâſſet, homines amare vel Creatorem vel creaturam, ex cupiditate aut charitate, confeſtim ſubjungit hæc verba formalia, quæ Author Hexapl. ſtudioſé reticuit: (*a*) *Non quòd non ſit amanda creatura; ſed ſi ad Creatorem refertur, ille amor non cupiditas ſed charitas eſt.* quaſi diceret: non quòd omnis amor creaturarum ſit vituperabilis, ſed cùm hunc amorem naturalem juſtum & rationalem ordinamus ad Creatorem, tunc charitas eſt divina & ſupernaturalis.

Jam verò poteſt amor creaturæ dupliciter ad Deum ordinari; vel explicitè & immediatè, quando creatura diligitur ex amore Dei; vel implicitè, quando diligitur creatura ex amore juſto & rationali, & conſequenter ordinabili ad Deum, ac modo divinæ voluntati nequaquam adverſario.

PROPOSITIO XLVII.

OBedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius; alioquin non eſt niſi hypocriſis aut falſa juſtitia.

(*a*) l. de Trinit. c. 8.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

OBedientia legis profluere debet ex fonte : & hic fons eſt *vera* charitas *divina & ſupernaturalis* : quando *verus* Dei amor & *ſupernaturalis* eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis ac *motivum ſibi propoſitum*, tunc purum eſt, quod apparet exterius : alioquin non eſt niſi hypocriſis aut falſa juſtitia.

Omnes Catholici Doctores conſtanter diſtinxerunt cum D. Thomâ duo conſideranda circa obſervantiam legis ; videlicet actum obedientiæ in ſervandâ lege, conſideratum in ſeipſo, & quatenùs eſt humanus & rationabilis : deinde motivum ſibi præfixum in hoc actu obedientiæ, quod motivum poteſt eſſe meritorium vel demeritorium gloriæ æternæ : demeritorium & peccaminoſum, quando pro motivo præfigitur ſiniſtra & vitioſa intentio, veluti ſi quis faceret eleemoſynas principaliter ob vanam gloriam : meritorium, quando actus ſit ex principio & motivo charitatis, ut ſi quis largus ſit in pauperes ob amorem Dei. Inde eſt celebris illa diſtinctio inter ſcholaſticos : *ſecundùm ſubſtantiam & ſecundùm modum* obſervantiæ legis : implemus mandata Dei & non peccamus, quando ſecundùm ſubſtantiam facimus, quod Deus jubet ; dummodo non formemus principaliter intentionem ſiniſtram & vitioſam : verùmtamen talis obſervantia non ſit ſecundùm modum utilem & meritorium ad ſalutem, quando non ſervamus præcep-

cepta ex motivo aut principio charitatis divinæ & ſupernaturalis.

Ita loquuntur omnes Theologi Orthodoxi. Novatores verò circa hæc valdè contraria ſentiunt. *Celebris illa diſtinctio*, inquit Bajus, *(a) divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo, quantùm ad præceptorum operum ſubſtantiam tantùm; altero ad certum quemdam modum, videlicet, ſecundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum*, (Intellige modo meritorio) *commentitia eſt, & explodenda.* Et hoc ideò, *Quia non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate*, ait alibi. *(b)*

Igitur Quenellus deſumpſit propoſitionem XLVII. totam ex Bajo, cum hac tamen differentiâ, quòd error in propoſitione Baii damnatus à ſummis Pontificibus ſit multò nervoſiùs expreſſus in Quenello: Nam 1. Cùm Bajus dicit, *non eſſe veram legis obedientiam, quæ fit ſine charitate*, poſſet intelligi hæc propoſitio favorabiliter, nimirum ſine charitate non dari obedientiam aut virtutem verè plenam & perfectam, in quo ſenſu talis obedientia ſemper adhuc retineret quandam ſpeciem bonitatis moralis: dicere verò cum Quenello; *obedientia legis ſine charitate non eſt niſi hypocriſis aut falſa juſtitia*, eſt rotundè affirmare, omnia eſſe peccata, tametſi in ſe optima, ſi fiant ſine charitate; certum eſt etenim, hypocriſin eſſe peccatum, & quidem enorme peccatum.

(a) Propoſ. 61.
(b) P.op. 16.

2. Quando Bajus dicit, *obedientiam legis non eſſe veram ſine charitate*, hæc propoſitio poſſet adhuc intelligi de charitate habituali: poſſet præſumi, Bajum voluiſſe tantùm aſſerere, peccatores ſine charitate habituali non verè obedire legi: Quenellus autem non modò dicit, peccatores non veraciter obedire legi, ſed ne quidem juſtos eſſe verè obedientes legi, ſi obediendo legi pro ſuo fine & principio non habeant charitatem, nec ſibi vel actualiter vel ſaltem virtualiter pro motivo ſtatuant gloriam Dei. Ex quo patet, propoſitionem Quenelli pejorem eſſe quàm Bajanam.

Quantùm ad terminum *charitas*, præter jam aſſerta indubitatum eſt, Quenellum loqui de charitate verâ, perfectâ & propriè dictâ. Si quis de hoc ambigere velit, ipſemet Apologiſta dubium tollet, utpotè qui Quenellum ſuum non ſolummodò non excuſat deſuper, ſed econtra probat & confirmat ejus propoſitionem ex primo & maximo Dei mandato: *(a)* Ut diligamus Dominum Deum ex toto corde, ex totâ animâ, ex omnibus viribus & per conſequens, ut ad Deum referamus omnes omninò actiones noſtras; manifeſtum eſt enim, hoc primum mandatum non ſervari per charitatem duntaxat inchoatam (quomodocunque eam explicaveris, ne quidem in ſenſu Janſenianorum volentium, eam tametſi inchoatam eſſe veram & propriam charitatem) ſed per charitatem perfectam, quæ nos facit diligere Deum ſuper omnia dilectione ſummâ & dominante.

(a) pag. 66. 68. col. 3.

§. II.

§. II.

Probatur Veritas Catholica propoſitioni damnatæ oppoſita.

QUamvis jam probatum ſit multifariè, hominem poſſe exercere pleraſque actiones moraliter bonas ſine gratiâ, imò & utiles ad ſalutem ſine charitate, attamen non importunum cenſetur, ſi hanc veritatem pro ſuperfluo confirmemus authoritate & argumento S. Thomæ, quem Author Hexaplarum ſatis effronter pro ſe & in proprium citat favorem. S. Doctor ſequentem ſibi format quæſtionem: *Utrum modus obſervandi legem ex charitate*, ſive (*a*) *utrum modus charitatis cadat ſub præcepto divinæ legis?* id eſt, ſi Deus præcipit exempli gratiâ, honorare parentes, utrum velit eos honorari ex principio Charitatis? S. Thomas reſpondet negativè; & dat rationem: „ qui enim, „ inquit, " præceptum non ſervat, peccat „ mortaliter, ſi igitur modus obſervandi legem ex prin„ cipio charitatis cadat ſub præcepto, ſequitur, quòd, „ quicunque facit aliquid, nec id facit ex principio cha„ ritatis, peccet mortaliter: jam quicunque non habet „ charitatem, ille non agit ex principio charitatis; ergò „ ſequitur, quòd, quicunque non habet charitatem, „ peccet mortaliter in omnibus ſuis actionibus, quan„ tumvis alioquin bonis: *quod dicere eſt inconveniens.* „

Nihil addamus verbis S. Thomæ: quidquid illis adjungeretur, potius infirmandis, quàm firmandis deſer-

(*a*) 2. 2. q. 100. a. 10.

viret. Hoc ſolùm notabimus, quòd verba Authoris Sex Columnarum, (*a*) quibus impetit Jeſuitarum quendam, in proprium ejus caput ſint retorquenda, nimirum *poſt teſtimonium tam clarum támque præciſum S. Thomæ, deſumptum ex eo ipſo loco, quem citat* Author Hexaplarum; *nemo niſi* Janſeniſta, & quidem Janſeniſta tam malæ fidei, ac eſt hic Author temerarius, *attentabit ſine rubore ſcribere, hunc S. Doctorem fuiſſe opinionis contrariæ*, vel quòd docuerit, omnia opera, ſine charitate facta, eſſe vitioſa & peccaminoſa.

§. III.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* Omnia, quæcunque facitis, pro gloriâ Dei facite, inquit Apoſtolus: quod eſt verum præceptum, juxta D. Thomam, & non duntaxat conſilium: Cùm igitur non omnia, quæ facimus, ad Deum referimus per charitatem, verè peccamus, legi non obtemperamus, ac obedientia noſtra non eſt niſi hypocriſis & falſa juſtitia.

Reſp. Nemo meliùs explicaverit S Thomam, quàm ipſemet S. Thomas: unde cum ipſò & poſt ipſum dicimus, quòd ordinare omnes ſuas actiones ad gloriam Dei ſit ſub diverſo ſenſu & reſpectu tum præceptum, tum conſilium: præceptum eſt, quia tenemur vi primi & maximi mandati 1. Eſſe in charitate habituali, & conari, nos diſponere ad eam obtinendam cum auxilio gratiæ. 2. Tenemur nihil perpetrare, quod ſit contrarium huic

(*a*) pag. 68. col. 3.

cha-

charitati, & quod eam expellat è corde. 3. Tenemur frequentiùs amoroſos divinæ charitatis affectus elicere: atqui nemo poteſt omnes has implere obligationes, quin omnes ſuas actiones ad Deum referat; hic eſt enim character eſſentialis charitatis, ut docet S. Thomas, quòd homo ſit totaliter Deo ſubditus, tribuens quæ ſunt Dei Deo.

Igitur verum eſt in aliquo ſenſu, quòd homo teneatur reducere omnes ſuas actiones ad gloriam divinam, hoc eſt, amare Deum habitualiter, frequenter producere actus internos amoris divini; attamen falſum eſt in alio ſenſu, nos teneri referre, quidquid agimus, ad gloriam Dei, adeò, ut quotieſcunque deſimus huic obligationi, eo ipſo fiamus peccaminoſi: & quidem hoc falſum eſt ex duplici ratione, quam affert S. Thomas. 1. Quia Deus non mandat verbi gratiâ, honorare parentes ex principio charitatis divinæ, ſed ſimpliciter jubet eos honorare. 2. Quia præceptum charitatis, utpote præceptum affirmativum, non ſemper & pro ſemper obligat: *Et ita*, inquit S. Doctor, *poteſt contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi charitatis*, neque fiat culpabilis alicujus peccati omiſſionis reſpectu præcepti charitatis: Ex quo tamen non ſequitur, ait S. Thomas, quòd peccator, non honorans parentes ſuos ex principio charitatis, non ſit alioquin ſummè reus & culpabilis, non ideò præcisè, quòd hanc actionem honorationis non retulerit ad Deum; ſed quia exiſtens

in

in ſtatu peccati mortalis non adimplet primum & maximum mandatum charitatis. In hoc conſiſtit Synopticè doctrina D. Thomæ. *(a)* Non alium ſenſum recipiunt ejus verba, niſi velis S. Doctorem in idipſum incidere *inconveniens*, quod tam ſeriò reſpuit ipſemet, dum apertè docet citato loco, quòd ſit *inconveniens dicere*, omnes actiones peccatoris, quantumvis ſint aliunde bonæ & laudabiles, eſſe peccata, ſi fiant ſine principio charitatis.

2. *Object.* S. Auguſtinus terminis formalibus dicit, quòd Deo nunquam verè obediatur, abſque charitate: ergò ſine hâc virtute obedientia falſa eſt.

Reſp. In certo ſenſu verum eſt & indubitatum, quòd Deo non veraciter obediatur, ſi non in omnibus præſtetur hæc obedientia; certum eſt, quòd tunc Deus talem obedientiam non acceptam habeat, nec remuneretur: qui verò charitatem non habet, etiamſi in pleriſque aliis obediat verè & realiter, attamen non obedit in omnibus, ſed deficit in primo & præcipuo mandato de dilectione Dei; ergò in tali ſenſu ejus obedientia non eſt vera: deinde ſine charitate obedientia rurſum non eſt vera, quia quantumvis ex ſe bona, non tamen eſt completè & perfectè bona, quòd non ſit formaliter ad Deum ordinata, ut ſupra explicavimus.

§ IV.

Qualificatio Propoſitionis damnatæ.

HÆc propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, erronea, proxima hæreſi, & jam damnata.

1. Eſt *falſa*, ex omnibus rationibus jam toties inculcatis.

(a) 2. 2. q. 100. a. 10.

2. Eſt *ſcandaloſa*, quia peccator perſuaſus, obedientiam legi præſtitam ſeu præſtandam eſſe peccatum, excutiet jugum legis importunæ, ſibíque opportunum præeliget peccatum, quod committitur in transgreſſione legis, omiſſo illo peccato, quod Quenellus dicit committi in obſervantiâ legis ſine charitate.

3. Eſt *erronea*; quia ſaltem mediatè revelatum cenſetur, quòd poſſimus Deo & legi obtemperare ſine charitate: videmus in Scripturis Sanctis nonnullos peccatores, quædam Dei mandata ſervantes, non modicas virtutes exercentes, de quibus & laudem & remunerationem reportârunt à Domino. Teſtis Rex Achab, (*a*) qui, cùm ſe humiliâſſet in conſpectu Domini, fuit præſervatus à caſtigationibus, quas ei comminatus eſt Elias Propheta: *quia igitur humiliatus eſt mei causâ, non inducam malum in diebus ejus.*

4. Eſt *hæreſi proxima*, cùm videatur omnes virtutes ad ſolam reducere charitatem, ac condemnare omnia bona opera, quibus peccator ſe poſſet diſponere ad juſtificationem.

5. Eſt *jam damnata*, in propoſitionibus damnatis Bajanis.

PROPOSITIO XLVIII.

Quid aliud eſſe poſſumus niſi tenebræ, niſi aberratio, niſi peccatum ſine fidei lumine, ſine Chriſto, ſine charitate?

Nihil aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberra-

(*a*) 3. Reg c. 21. v. 29.

tio, & niſi peccatum ſine fidei lumine, ſine Chriſto, ſine *verâ, divinâ, ac ſupernaturali* charitate.

Si poſt tot reflexiones hucuſque factas etiamdum ſupereſſet dubitandi locus, quid Quenellus velit & intelligat per verbum *Charitas*; an ſupponat Charitatem veram & divinam, planè ceſſaret id dubium ex hâc ſolâ propoſitione, quâ dicit, *quòd ſine Chriſto & charitate non poſſimus eſſe niſi peccatum*: patet enim, quòd hîc loquatur de charitate, quæ nos Chriſto unit: atqui de fide eſt, quòd neque nos cum Chriſto nec Chriſtus nobiſcum poſſit uniri, niſi per charitatem veram & perfectam: ergò Quenellus hîc loquitur de charitate verâ & perfectâ. Similiter patet, quorſum tendat ſuis terminis, *tenebra*, *aberratio*, *peccatum*. Non jam hîc agitur de juſtitiâ duntaxat falsâ, quæ utpote non vera aut verè perfecta merito caret, ac indigna eſt retributionis æternæ; ſed agitur de *aberratione & peccato* reali: igitur manifeſtum eſt, quod nemo contradixerit, Quenellum hîc loqui & docere terminis expreſſiſſimis, omnes actiones infidelium & peccatorum eſſe merà peccata, quod eſt formaliter *hæreticum.*

PROPOSITIO XLIX.

UT nullum peccatum eſt ſine amore noſtrî, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.

Omnis amor noſtrî eſt peccatum, nec ullum eſt opus bonum *cujuſcunque natura*, *ſine vero* amore Dei.

Patet, hanc propoſitionem non eſſe niſi repetitionem antecedentium: ſi enim nulla dentur bona opera ſine vero Dei amore, neceſſariò ſequitur, omnes actiones ho-

minum, hunc amorem non poſſidentium, eſſe mera peccata: ſufficiat hîc annotâſſe, quòd dum Quenellus dicit, nullum dari peccatum ſine amore noſtrî, non ſolùm inſinuare velit dogma illud indubitatum, ſcilicet, amorem noſtrî inordinatum eſſe fontem omnium peccatorum: ſed vult dicere, quòd non poſſimus nos ipſos diligere ſine peccato: Reverà enim, ſi non dentur niſi duo amores, unde naſcuntur omnes noſtræ volitiones, nimirum amor Dei, quem Deus remuneratur; & amor noſtrî, qui malus eſt; utique ſequela eſt evidens, quòd nemo poſſit ſeipſum amare ſine peccato: quod idem eſt ac dicere, omnem amorem noſtrî eſſe vitioſum & inordinatum.

Quæ ſi ita ſint, cur Deus amorem erga nosipſos tam profundo charactere impreſſit cordibus noſtris? cur jubet proximum diligere tanquam ſeipſum? cur ſtatuit proprium amorem in prototypon charitatis fraternæ? cur toties in ſacris litteris utitur hoc amore noſtrî-ipſius tanquam funiculo, quo nos ad ſe attrahit & invitat? Si amor erga ſeipſum foret adeò vitioſus & inordinatus, nunquid ejus praxin commendaret Deus terrendo minis, alliciendo promiſſis? concludamus igitur, hanc propoſitionem iiſdem cenſurandam eſſe qualificationibus, quibus præcedentes, hoc ſolo diſcrimine, quòd quoad primam ejus partem, *nullum peccatum eſt ſine amore noſtrî*, ſit captioſa, quia ſub ementito velamine Catholicæ expreſſionis occultat verum errorem, videlicet erroneum dogma, quòd omnis amor noſtrîipſius ſit peccaminoſus.

PROPOSITIO L.

FRuſtrà clamamus ad Deum, Pater mi! ſi Spiritus charitatis non eſt ille, qui clamat.

PROPOSITIO LI.

FIdes juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem.

PROPOSITIO LII.

OMnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine & ſemine; ſed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.

PROPOSITIO LIII.

SOla charitas Chriſtiano modo facit actiones Chriſtianas, per relationem ad Deum & Jeſum Chriſtum.

PROPOSITIO LIV.

SOla Charitas eſt, quæ Deo loquitur; eam ſolam Deus audit.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionum.

FRuſtrà clamamus ad Deum, Pater mi! ſi Spiritus *tanquam principium veræ & ſupernaturalis* charitatis non eſt ille, qui clamat.

Fides juſtificat, quando operatur: ſed ipſa non operatur niſi per *veram charitatem, ſine quâ fides non poteſt agere, nec in corde exiſtere.*

Om-

Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine & ſemine: ſed hæc *vera fides Chriſtiana, in quâ continentur omnia alia ſalutis media*, non eſt fides ſine *vero, divino & ſupernaturali* amore ac fiduciâ.

Sola charitas *vera ac ſupernaturalis* Chriſtiano modo ac virtuosè facit actiones Chriſtianas per relationem ad Deum & Jeſum Chriſtum: *quidquid fit ex alio principio, illud eſt inordinatum & peccaminoſum.*

Sola charitas *vera & ſupernaturalis* eſt, quæ Deo loquitur; eam ſolam Deus audit: *ſine hâc omnes alias virtutes repellit tanquam vera vitia.*

Jam quidem hucuſque vidimus, Quenellum non aliud ſtatuere principium humanarum actionum, quàm vel veram charitatem, vel vitioſam cupiditatem, & propterea juxta Quenellum peccatis annumerari omnes humanas actiones non prodeuntes ex principio & motivo charitatis ſupernaturalis, tametſi actiones illæ cæteroquin ex ſeipſis ſint bonæ, juſtæ & rationabiles; nihilominùs videtur valde congruere, ſi hoc loco & quidem ſpecialiter tractemus de actibus Chriſtianis, ut & quàm virulenti ſint errores Quenelli, & quàm juſtè damnati, clariùs eluceſcat.

In quem finem priùs explicandum eſt, quid communiter intelligatur ſub actionibus Chriſtianis: Itaque actio Chriſtiana eſt illa, quam Chriſtus præſcripſit vel per mandatum vel per conſilium, quæque fit *ex principio & motivo* ſupernaturali: gratia ex Chriſto eſt tale *principium*, ſine quâ non poſſumus agere Chriſtiano modo; *motivum*

Digitized by Google

verò, ſeu finis eſt id, quod nobis monſtratur per fidem; quæ ſola ſubminiſtrat cognitiones ſupernaturales: ſub hâc definitione veniunt non tantùmmodò virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas, ſed etiam virtutes morales, Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, Temperantia, Humilitas, Pietas, Religio, aliæque hujuſmodi virtutes, quæ fiunt ſupernaturales & Chriſtianæ in ſubjecto, in quo exercentur, ex *motivo* & *principio* ſupernaturali.

Tria ſunt, in quibus Catholici Doctores unanimiter conſentiunt circa ſtatim allata.

1. Quòd mox memoratæ virtutes ſemper ſint & maneant veræ virtutes, Deo gratiſſimæ, Deum ſuo modo honorantes.

2. Quòd ſint nullius meriti rigoroſè ſumpti in peccatoribus & infidelibus, id eſt, quòd ejuſmodi virtutes nihil mereantur *de condigno*, niſi exerceantur vel à juſtificatis, qui charitatem habent, vel ex principio charitatis, prout inferiùs explicabimus in Analyſi propoſitionum ſequentium.

3. Quòd, licèt hæ virtutes non habeant meritum rigoroſum, id eſt, *de condigno* in peccatoribus charitate vacuis, ſint tamen ipſis valde utiles, quòd diſponant ad juſtificationem, eámque mereantur gratiam ex convenientiâ, ſive, ut vocant, de *congruo*.

Hæc eſt doctrina Orthodoxa, contra quam hæretici inſurgunt tantâ ferociâ: Hanc appellant cum Authore Sex Columnarũ, *(a)*,, Subverſionem antiquæ Religionis in ſo-
,, lo amore ſubſiſtentis, ut ei novam ſubſtituant propémo-

[a] pag. 41 43. col. 4.

„ dùm tam diverſam à veteri, ac Religio Chriſti diverſa eſt „ à Religione Mahometanâ; ampliora dico, Religionem „ tam remotam à verâ, ac remota erat Religio Judaica, à „ S. Paulo impugnata, ab illâ, quam idem S. Apoſtolus in „ divinis ſuis epiſtolis erudiebat. „ Ita loquuntur noſtri pſeudo-Reformatores, ita ſentiunt extatici Panegyriſtæ charitatis, in quam tamen adeò largiter peccant, & ad quam ſolam omnes virtutes revocant, nullam aliam agnoſcentes. Nam penes ipſos, ne quidem exceptâ fide & ſpe, omnes cæteræ virtutes ſunt abſolutè inanes, inutiles abſque charitate; quamprimùm hæc virtus divina exulat, reliquæ omnes tanquam ejus pediſſequæ & mancipia pariter expelluntur: quidquid in corde humano, charitate vacuo, remanet, vitioſum eſt, peccatum eſt. Hoc eſt Monſtrum illud, hic eſt triceps ille Cerberus, cui blanditur Quenellus in his quinque propoſitionibus.

1. Igitur docet Quenellus expreſsè, omnes virtutes eſſe inanes & inutiles ſine charitate. *Fruſtrà clamamus ad Deum, Pater mi! Si Spiritus charitatis non eſt ille, qui clamat. Sola charitas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit:* ergò reliquæ omnes fruſtrà clamant, Deo loquuntur inutiliter, eò quòd eas non audiat; ergò ſunt inanes & vacuæ: hoc eſt evidens.

2. Docet Quenellus, ſine charitate nullam dari virtutem, ne quidem fidem: quomodò iſtud? *quia fides*, inquit Quenellus, *non operatur, niſi per charitatem*: eccur non operatur? quia ſine charitate operari nequit; quippe quòd non niſi per charitatem operetur: atqui illa virtus, quæ nec operatur nec operari poteſt quodcunque bonum, utique nulla eſt virtus, ergò juxta Quenellum fides ſine

charitate nulla eſt virtus. Hæc eſt demonſtratio. Accipe aliam non minus ſtringentem. Vera fides planè eſt, ut ipſe vult Quenellus, *ſemen & germen omnium mediorum ad ſalutem*: juxta ipſum hæc fides non eſt vera fides ſine amore, ergò nulla datur fides, ubi nullus amor.

3. Docet Quenellus ſine charitate omnes virtutes eſſe mera vitia. Profectò nullum datur medium, præſertim in principiis Quenelli, inter virtutem & vitium, inter rem Deo acceptam, & exoſam, inter clamorem, quem Deus audit; vel reſpuit. Atqui juxta Quenellum omnes cæteræ virtutes ſine Charitate non ſunt virtutes, non loquuntur Deo, non audiuntur à Deo; ergò ſunt vera vitia, quæ Deus odit, reſpuit, damnat: Deinde ſolemne eſt principium Quenelli, quidquid non fit Chriſtianè, id fieri peccaminosè; Jam ſola charitas operatur Chriſtianè juxta ipſum; ergò omnes reliquæ virtutes, ipſa fides & ſpes operantur peccaminosè, ſúntque vera & propriè dicta vitia. En Quenellum noſtrum non ſolummodò bonum Janſenianum, ſed & profeſſum Lutheranum & Calviniſtam, prout mox videbimus in ſequente paragrapho.

§. II.

Conformitas Propoſitionis damnatæ cum Doctrinâ hæreticorum.

Luth. ſuper cap. 15. *gen.* Scio, quòd omnes hæ virtutes, timor, ſpes, charitas ſint magna Dei dona. Scio, *quòd fides non exiſtat ſine his donis....* Scimus, *quòd fides nun-*

quàm,

quam ſit ſola, ſed quòd *ſemper ſecum ducat charitatem*, & plura alia Dei dona.

Idem præf. ſuper Epiſt. ad Rom. Fides ſimilis eſt igni, qui non eſt ignis, ſi non lucet, ſi non ardet. Sic etiam fides eſt virtus viva, activa & efficax, quæ *ſemper neceſſariò operatur ex Charitate.*

Idem aſſert. de art. aſſert. 6. Contritio, concepta in corde peccatoris *ex jactura æternæ beatitudinis, ipſum reddit Hypocritam & majorem peccatorem.*

Calv. l. 3. inſt. Cap. 2. §. 9. Veluti fieri non poteſt, ut Chriſtus ſeparetur à Spiritu ſancto, *ita pariter fieri nequit, ut fides ſeparetur ab amore Dei.* Fides enim reſpicit & recipit Chriſtum, ſed tamen cum Spiritu ſanctificationis & amoris.

Idem antid. Conc. Trid. Seſſ. 6. Can. 15. Nihil purum eſt, & nihil *bonum eſt, niſi quod provenit ex amore perfecto.*

Idem ibidem. Cùm Deus exigat à filiis ſuis ſinceram obedientiam, idcircò non tantùm non acceptabit, *ſed totaliter projiciet obedientiam illam ſervilem, quæ ipſi redditur intuitu retributionis ab ipſo ſperatæ.*

Kemnit. exam. Conc.. Trid, Seſſ. 6. Can. 9. Nulla eſt *vera fides præter illam, quæ ex Charitate operatur. Si quis deſerat, vel abjiciat Charitatem, tametſi grandem habeat fidem, nullam tamen ampliùs habet fidem.* Illi enim non conſervant fidem & juſtitiam, qui vivunt ſecundùm carnem.

Franc. Gom. tom. 1. expl. Ep. ad Gal. c. 5. Fides, quæ juſtificat, non eſt ſine Charitate. Quapropter, *qui malè vivunt, non ſunt veri fideles*, tametſi glorientur de ſuâ fide.

Digitized by Google

Janſ. tom. 3. *l.* 5. *cap.* 4. Sive amet fidelis ſive infidelis, ſi non amat Deum amore prædicto, non amat niſi mundum, vel aliquid, quod eſt in mundo. Unde conſequitur, quòd neque juſtitia, neque fortitudo, neque temperantia, nec prudentia *ullo modo ſint vera virtutes, ſed quòd ſint vera vitia, ſi non naſcantur ex charitate Dei.*

Idem cap. ſeq. Satis clarè probavimus, quòd non ſit *nec vera religio, nec verus Dei cultus*; ſed duntaxat ejus apparentia & larva, *ſi Deus non ametur ſincerè & caſtè, hoc eſt, gratuitò & propter ipſum ex verâ charitate.*

Idem cap. ſeq. S. Auguſt: Non recognoſcit ullam veram fidem Chriſtianam nec ullam ſpem, ſi non proveniat ex charitate divina... S. Aug. certè docuit, quòd illa voluntas, quâ Deo credimus, & in Deum ſperamus, nihil ſit aliud, *quàm verus Dei amor.*

Idem ibidem. Eſt principium S. Auguſtini ſecuriſſimum, quòd homo non adimpleat ullum præceptum, ſi non diligat juſtitiam.... *Jam verò non poteſt amari juſtitia ſine Charitate vera & propriè dicta: præcepta ergò fidei & ſpei impleri nequeunt ſine Charitate.*

Idem ibidem cap. 9. Concupiſcentia in ordine ad ipſum Deum eſt *amor vitioſus.* Unde ſanctus Auguſtinus ſemper nobis commendat & quidem tam ſolicitè, ut diligamus Deum gratuitò ex ſola conſideratione ipſius puriſſimæ bonitatis abſque ullo regreſſu ad nosmet-ipſos... puritas enim charitatis corrupta eſt, quamprimùm oculos ſuos aliò flectit quàm in ſummè dilectum.... ex quo videtur ſatis clarè, ut puto, quòd illi ineptiſſimè decipiantur, *qui ſpem chriſtianam eò uſque deprimunt, ut etiam à chari-*

Digitized by Google

tate ſeparent. Ac ſi quodammodò ille, qui ex charitate amat, regrederetur ad ſeipſum, quando cupit, & ſperat præſentiam ſui dilecti: & quaſi converteret per ſpeciem quandam adulterii puritatem charitatis divinæ & gratuitæ *in amorem concupiſcentiæ & ſordidam cupiditatem mercenariam.* Abſit à nobis puerilis iſthæc imaginatio. Charitas deſiderat ſolvi â vinculis corporis, & eſſe cum Chriſto.

Idem cap. ſeq. Si velimus rem examinare cum attentione, cognoſcemus, quòd quicunque labitur ab hâc puritate charitatis, incipiendo ſibimet velle, ſibíque deſiderare Deum ex amore concupiſcentiæ, *totaliter invertat maligno hoc amore ordinem charitatis,* quem tamen nobis natura tradit, & lex æterna præſcribit.

Idem infra. Nos nobiſipſis optamus beatitudinem noſtram, bonum noſtrum, quod nos reddat beatos, non quidem ex amore concupiſcentiæ, *ſed ex verâ charitate.*

Prop. 9. inter 31. condem. ab Alex. VIII. Ille *veraciter peccat,* qui non odit peccatum niſi propter ipſius fæditatem & improportionem, quam habet cum natura, *abſque ulla relatione ad offenſam Dei.*

Prop. 10. inter eaſdem. Intentio, quâ quis deteſtatur malum, & amplectitur bonum ex ſolo lucrandi Cæli deſiderio, *nec recta eſt, nec Deo grata.*

Prop. 11. Omne, *quod non procedit ex fide Chriſtiana ſupernaturali, qua per charitatem operatur, peccatum eſt.*

Prop. 12. Quando magni peccatores *deſtituti ſunt omni Dei amore, tunc etiam fidem amittunt.* Et quamvis videantur credere, id tamen non eſt niſi ex humana fide, & non ex fide divina.

Digitized by Google

Prop. 13. Ille, qui ſervit etiam Deo intuitu retributionis æternæ, ſi tamen ſit *deſtitutus Charitate, non eſt ſine peccato,* quoties intuitu ejuſdem beatitudinis operatur.

§. III.

Probatur Veritas Catholica propoſitionibus damnatis oppoſita.

Ex Ratione.

AD pròbandum, nos poſſe operari Chriſtiano modo ſeu virtuosè ſine charitate, ſatis eſt, ſi obſerves, quòd independenter ab hâc virtute habeamus, quidquid neceſſe eſt ad exercendam veram actionem Chriſtianam & ſupernaturalem: videlicet principium, objectum, & motivum ſupernaturale.

1. Habemus principium operandi ſupernaturale per gratiam, quâ fit, ut agamus ſupernaturaliter abſque charitate: quippè ſi charitas unicum foret principium operationum ſupernaturalium, neceſſariò ſequeretur, vel quòd ipſamet charitas nullum haberet principium ſupernaturale, vel quòd ſibimet ipſi eſſet proprium principium, quod eſt abſurdum: habemus igitur principium ſupernaturale noſtrarum actionum independenter à charitate, nimirum gratiam, quæ eſt proprium charitatis principium.

2. Habemus etiam objectum & motivum ſupernaturale ſine charitate: in exemplo. Chriſtianus, qui Deum honorificat propter ejus excellentiam infinitam, utique habet in tali actione & motivum & objectum ſupernatura-

tura-

turale, & conſequenter habet, quidquid exigitur ad operandum Chriſtiano modo.

Ex hâc veritate ſic ſtabilitâ duo ſubnaſcuntur, & quidem neceſſaria, doctrinæ Quenelli ex adverſo oppoſita. Primò, quòd actiones Chriſtianæ ſint utiles, ſalutares, Deo acceptabiles ſine charitate; quomodò enim fieri poſſet, ut quod nos ad Deum perducit, non ſit utile & ſalutare? quâ ratione foret poſſibile, ut quod ex ſeipſo eſt laudabile & virtuoſum, quod Deus ſuadet, quod jubet, non ſit Deo gratum, nec ullatenùs meritorium coram Deo? dein ſequitur ſecundò, virtutes Chriſtianas non eſſe inſeparabiles à charitate, cùm ſine illâ poſſint ſe habere: prætereà virtutes habent ſua ſubjecta & objecta, ſuóſque actus omninò diverſos ab objecto, ſubjecto & actibus charitatis: in exemplo. Fides eſt in ſubjecto intellectûs, charitas reſidet in voluntate: fides agit credendo, charitas diligendo: fides tandem pro objecto habet primam Veritatem; charitas ſummam Bonitatem: ergò nihil ad ſe invicem communicant; ergò unum ſubſiſtere poteſt ſine altero: hæc evidenter patent.

Ex Scripturâ.

Luc. 7. *v.* 50. Dixit autem Jeſus ad *mulierem, (peccatricem) fides tua* te ſalvam fecit: vade in pace.

Act. 15. *v.* 9. *Fide* purificans corda illorum.

Rom. 3. *v.* 28. Arbitramur, *juſtificari* hominem *per fidem.*

Reſp. Omnes Theologi Catholici noverunt, nos ſalvari per fidem, nos per eam juſtificari, purificari, non

utique formaliter, ſed efficienter, ſeu potiùs diſpoſitivè, in quantum videlicet fides nos diſponit ad juſtificationem, nobíſque promeretur de *congruo* charitatem ſanctificantem.

Heb. 11. 31. *Fide* Raab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.

Math. 7. 22. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nónne *in nomine tuo* prophetavimus, & *in nomine tuo* dæmonia ejecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. *Reſp.* Nónne evidenter patet, ſermonem hîc fieri de fide, quatenus eſt ſeparata â charitate? ergò datur vera fides etiam cum ſpiritu prophetiæ, & poteſtate dæmonia eijciendi, quos tamen Dominus nunquam novit ſine charitate.

Pſalm. 16. 7. Salvos facis *ſperantes* in te.

Pſalm. 31. 10. Multa flagella peccatoris: *ſperantem* autem in Domino miſericordia circumdabit.

Rom. 8. 24. *Spe* ſalvi facti ſumus. *Reſp.* Ergò ſalvamur, atque obtinemus gratiam & miſericordiam Domini ſicuti per fidem, ſic etiam per ſpem.

Pſalm. 117. 112. Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, *propter retributionem.* *Reſp.* Non ex ſolo motivo Charitatis.

1. *Cor.* 1. 9. Quoniam debet *in ſpe*, qui arat, arare, & qui triturat, *in ſpe* fructus percipiendi.

Heb. 11. 25. Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum opprobrium Chriſti: aſpiciebat enim, in *remunerationem.* *Reſp.* Igitur impulſus ſpei non eſt malus, ut docet Quenellus poſt Janſenium.

Digitized by Google

Iſa. 57. 15. Dominus in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu; ut *vivificet* ſpiritum humilium, & vivificet cor contritorum.

Ibid. 66. 2. Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & *trementem* ſermones meos.

1. *Pet.* 5. 5. Deus ſuperbis reſiſtit, *humilibus* autem dat gratiam.

3. *Reg.* 21. 9. Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? *quia igitur humiliatus* eſt mei causâ, non inducam malum in diebus ejus.

Luc. 18. 13. Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cælum levare; ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic *juſtificatus* in domum ſuam.

Reſt. Tale ac tantum eſt meritum humilitatis, ut nobis etiam ſine charitate de *congruo* mereatur gratiam & miſericordiam Dei, ſimul & juſtificationem.

Ex Patribus.

Conc. Trid. Seſſ. 6. *c.* 6. Diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati & adjuti divinâ gratiâ *fidem* ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum *credentes*.... & dum peccatores, ſe intelligentes à divinæ juſtitiæ *timore*, quo utiliter concutiuntur, tactos, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in *ſpem* eriguntur.

Reſt. Ergò fides, ſpes, timor, ſine charitate non ſunt vitia, quandoquidem nos diſponant ad juſtitiam.

Id.

Id. Seſſ. 14. *c.* 4. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur; quoniam vel *ex turpitudinis peccati conſideratione*, vel ex *gehennæ* & pœnarum *metu* communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ; declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem: verùm etiam *donum Dei eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum*, non adhùc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pænitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.

Hilarius in Pſalm. 118. *in hæc verba: Clamavi in toto corde meo.* Ille ad Deum toto corde clamat, qui magna poſtulat, qui cæleſtia precatur, qui *æterna ſperat, qui innocentis timoris* vivit officiis.

Ambr. l. 1. *de Cain & Abel. c.* 9. Clament opera tua, clamet fides, clamet affectus, clament paſſiones tuæ, clamet ſanguis tuus.

Id. l. 1. *in Luc. c.* 1. Eſt profectò vox operum fideique clamor, ſicut lectum eſt: *Sanguis fratris tui clamat ad me.*

Reſp. En diverſos clamores præter clamorem charitatis. Surdeſcunt inſtar Janſenianorum ad clamorem veritatis tam validum, qui varios clamores iſtos non audiunt.

Id. in Pſalm. 118. *v.* 145. Clamat ergò cor noſtrum non ſono corporis, ſed cogitationum ſublimitate concentúque virtutum. *Grandis fidei clamor.* Denique in ſpiritu adoptionis clamamus: Abba Pater; & ipſe ſpiritus Dei clamat in nobis. *Magna vox juſtitiæ*, magna eſt *caſtitatis*, per quam & mortui loquuntur: nec ſolùm loquuntur, ſed etiam ſicut Abel clamant.

Digitized by Google

Reſt. Clamor fidei clarè hîc diſtinguitur à clamore charitatis.

Greg. Mag. l. 26. *Mor. c.* 23. Apud aures Dei *vox valida devota* confeſſio eſt.

Hug. à S. Victore in Thren. ſuper illud Geneſ. 18. *Clamor Sodomorum &c.* Laus & gratiarum actio non ſolùm ad Deum, ſed etiam coram Deo *clamant.*

Ibid. Clamat iniquitas ad Deum, clamat & *neceſſitas*: ſed illa clamat irritans, iſta ſupplicans: illa provocat iram, iſta flagitat miſericordiam.

Ibid. Clamant Angeli in cælo *clamore laudis*: clamat Moyſes in deſerto *clamore devotionis*: clamant filii Iſraël in Ægypto *clamore neceſſitatis*: clamat Sodoma & Gomorrha clamore iniquitatis.

Aug. de Præd. SS. c. 7. Ipſa fides prima datur; *ut impetrentur* cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus juſtè vivitur.

Id. Ep. 186. *ad Paul.* Si quis autem dixerit; quòd *gratiam benè operandi fides mereatur*, negare non poſſumus, imò verò gratiſſimè confitemur: Hanc enim fidem volumus habeant, *quâ impetrent charitatem*, quæ ſola verè benè operatur.... Qui ergò habent fidem, *quâ impetrent juſtificationem*, per Dei gratiam pervenerunt ad legem juſtitiæ.

Id. in Pſalm. 118. *ſer.* 17. Quia itaque credidi, tua eſſe mandata; ipſa fides mea, quâ id credidi, *impetret abs te gratiam*, quâ faciam, quod mandaſti.

Digitized by Google

Ep. 149. *ad Sixt. c.* 3. Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides *hanc impetrat.*

Id. tract. 3. *in Joan.* Quid eſt ergò, gratiam pro gratiâ? *fide promeremur Deum*: & qui digni non eramus, quibus peccata dimitterentur; ex eo, quia tantum donum indigni accepimus, gratia vocatur.

D. Bonav. l. 3. *d.* 23. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 1. Dicendum, quòd fides non dicitur mortua, quia caret *omni utilitate & efficaciâ*; ſed quia caret vitâ gratuitâ, quæ eſt vita perfecta: & ideò ex hoc non poteſt concludi, *quòd ſit ſpecialiter virtus*, ſed quòd non ſit virtus propriè dicta.

Id. l. 4. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 1. Per Fidem *informem meretur quis*; *& facit operationem miraculorum*; & impetrat illi ſanitatem corporalem

Ibid. ad 1. Ad illud quod dicitur, quòd fides informis non placet Deo: dicendum, quòd non placet Deo tanquam meritorium ex condigno, benè tamen placet Deo *ſicut diſpoſitivum de congruo.*

Id. l. 3. *d.* 31. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 2. Fides generat ſpem, ſpes generat charitatem; in quantum diſponunt ad actum ejus.

Id. in pſalm. 118. *c.* 11. *v.* 11. In oratione fides inſtat, ſpes pulſat, charitas intrat.

Ambr. in ep. ad Rom. c. 8. Spe enim ſalvati ſumus: hoc dicit, quia *ſperando*, quod promiſit Deus, in Chriſto nobis *meritum* facimus, ut liberemur.

Id. de Iſaac & Jacob. c. 1. Qui *ſperat in Deum*, *placet Deo*, mutatur in melius; nec videtur degere in terris, ſed quaſi translatus adhærere Deo.

Digitized by Google

Id. in Ep. ad Cor. c. 9. Quoniam, inquit Apoſtolus, qui in ſpe arat, & triturat, debet ſpei ſuæ fructum percipere. Verum eſt, quia hâc ſpe loboratur, *ut fructus capiatur.*

Hier. adv. Jovin. l. 3. Utique ideò hoc facit, *ut plus* laborans, plus aliquid mercedis habeat.

Aug. in Pſalm. 36. *ſerm.* 2. Si vis ſuſtinere laborem, *attende mercedem.* Nam operarius in vineâ deficeret, niſi attenderet, quid accepturus eſſet.

Id. in Pſalm. 120. Noli facere, *niſi propter vitam æternam:* Ideò fac, & *ſecurus facies.*

Id. Man. c. 10. Da mihi Domine Jeſu, ut deſiderem te.... accende me deſiderio tuo.... & *concupiſcentiâ tuâ ſanctâ & bonâ*, quæ caſta eſt, & munda.

Laur. Juſtin. faſcicul. amor. c. 18. Tolle laboranti mercedis ſpem, illicò manus illius tabeſcet in opere.... Robur igitur actionis in ſpe *remunerationis* includitur.

Id. de lig. vitæ. l. de char. c. 10. Diligentium Deum quatuor ſunt ſpecies: Prima eſt naturalis, quo amore amant omnes Deum, boni & mali. De hoc amore ait Auguſt. *Deus, quem amat omne, quod amare poteſt, ſive ſciens, ſive neſciens.* Secunda eſt, quâ aliquis amat Deum, eò quòd cognoſcit eum ſibi neceſſarium, de quo David: *diligam te Domine fortitudo mea &c.* Tertia eſt, quâ aliquis amat Deum propter delicias, quæ in ipſo ſunt..... O amor ſuavis! o lucrum mirabile! de quo amore dicitur Sap. 7. *Amator factus ſum formæ illius.* Quarta eſt, quâ aliquis amat Deum, eò quòd ſit digniſſimus amore, qui amor purus eſt. *Reſt.* Ergò dantur alii amores ad Deum liciti, præter veram & perfectam charitatem.

Bern. tract. de char. c. 3. Diſcat homo Deum diligere, & ſi non propter ſuam bonitatem, certè propter *ſuam utilitatem propriam*: & hic gradus amoris amare inchoantibus primus eſt. Jam verò amantibus infimus gradus, cùm nec propter ipſum ſed *propter nos* Deum diligimus.

D. Bonav. l. 1. *d.* 1. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 1. Contigit Deo *rectè ſervire intuitu mercedis*. Supra quod dicendum, quòd illa merces aut eſt ipſe Deus.... Et ſic intuens mercedem non utitur Deo, quia non refert ad aliud: Aut merces illa eſt aliud; & tunc poteſt eam quis intueri: aut ut cauſam moventem; & ſic eſt malus mercenarius, & ſic utitur: aut ut rationem inducentem; & ſic bonus, & hoc modo non utitur.

De imit. Chr. l. 3. *c.* 49. *Fili*, cùm tibi *deſiderium æternæ beatitudinis* deſuper infundi ſentitur.... Dilata cor tuum, & omni deſiderio hanc ſanctam inſpirationem ſuſcipe.

Chryſoſt. hom. de verb. David: Quis ſum ego? Imitatores Chriſti lineas tenent humilitatis: *& ſola eſt, quæ charitatem acquirit.*

Id. in c. 5. *Math.* 15. Sicut enim ſuperbia omnis fons malorum eſt, ita humilitas *cunctarum origo virtutum.*
Reſt. Et conſequenter ipſiusmet charitatis.

Aug. in Pſalm. 93. Ille ſuperbus erat in bonis factis, iſte humilis in malis factis. Videte fratres: placuit Deo magis *humilitas in malis factis*, quàm ſuperbia in bonis factis.

Id. de Sanct. Virginit. c. 30. Hæc diſciplina chriſtiana docet humilitatem, quâ & *acquirat & cuſtodiat charitatem.*

Bern.

Bern. ſerm 55. *in Cant. cant.* In veritate didici, nihil æquè efficax eſſe ad gratiam *promerendam*, retinendam, *recuperandam*, quàm ſi omni tempore coram Deo inveniaris non altum *ſapere*, *ſed timere.*

Id. ſerm. 4. *in vigil. Nativ. Domini.* Quid humilitate ditius, quid pretioſius invenitur, quâ nimirum regnum cælorum emitur, & *divina gratia acquiritur ?*

Id. de officio Epiſcop. c. 5. Ut caſtitas ſeu charitas detur, *humilitas* meretur; quoniam Humilibus Deus dat gratiam. Humilitas ergò *virtutes illas accipit*, ſervat acceptas, ſervatas conſumat.

Id. ſerm. 2. *in Nativ. Dom.* Sola virtus humilitatis eſt læſæ *reparatio* charitatis.

Id. Ep. 372. Illud quoque non otioſè, puto, adiiciendum, ut *in acquiſitionem ſalutis & gratiæ* tribus gradibus aſcendas, humilitate, fide, timore. Humilitas enim eſt, cui gratia datur: fides in quâ ſuſcipitur; timor à quo cuſtoditur.

Clem. Alex. l. 7. *ſtrom.* Has ego dico virtutes eſſe *ſacrificium Deo gratum* & acceptum, manſuetudo, benignitas.

§ IV.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* PAtres Eccleſiæ, & præſertim S. Auguſtinus, dicunt, Deum audire ſolum clamorem cordis; quòd tunc ceſſemus loqui ad Deum, cùm ceſſamus amare; quòd fruſtrà clamemus, ſi non ſit Spiritus charitatis, qui clamat: nónne hæ ſunt penè propriæ expreſſiones Quenelli, quêis utitur in ſuis propoſitionibus?

Reſp. SS. Patres ſunt valde alieni à mente Quenelli; nolunt aſſeverare, ut ipſe, quòd tacente charitate omnes reliquæ virtutes vel obmuteſcant, vel à Deo non audiantur: volunt ſolummodò dicere, Deum non multùm attendere ad labiorum motus, ad ſimplicia verba oris, ſed ad ſanctas aſpirationes cordis, à Spiritu ſancto nobis inſpiratas: De ſanctis hiſce affectibus loquitur S. Auguſtinus, cùm dicit, *nos ceſſare loqui, quando ceſſamus amare*; S. Doctor hoc loco agit de piis deſideriis in genere, quæ per preces præſentantur ſummo Numini: *Continuum deſiderium tuum*, inquit, (*a*) *continua vox tua*; *tacebis, ſi amare deſtiteris*; id eſt, ſi fovere bona deſideria ceſſabis.

2. *Object.* S. Auguſtinus pronuntiat terminis formalibus, ſicut Quenellus, quòd non ſit niſi unicum opus, in quo omnia continentur, nimirum fides, quæ per charitatem operatur: addit S. Bernardus, quòd abſque charitate fides non operetur.

Reſp. Veriſſimum eſt in ſano ſenſu, quòd unicum ſit opus, in quo omnia continentur; nimirum opus fidei, quæ operatur per charitatem; qui enim virtutem charitatis poſſidet, non negliget praxes omnium aliarum virtutum, quas Deus præcipit: ſed falſum eſt, quod prætendit Quenellus, hominem nunquam benè operari niſi mediante verâ charitate; ipſamet enim charitas ex fide promanat, ac veraciter in hâc virtute continetur, tanquam in ſuo germine, æquè ac omnes cæteræ virtutes: Quoad dictum S. Bernardi, fidem non age-

(*a*) In Pſalm. 37.

re niſi per charitatem, per hoc confirmat oraculum Scripturæ; fidem ſine charitate mortuam eſſe; id eſt, nos nullam habere vitam in Chriſto niſi per charitatem, omnes actiones per fidem ſine charitate exercitas, quantumvis bonæ ſint ex ſe & laudabiles, nihilominùs eſſe actiones emortuas, in ordine ad promerendam vitam ſempiternam.

3. *Object.* Teſtatur quoque S. Auguſtinus, amorem non poſſe ſubſiſtere ſine ſpe, nec ſpem ſine amore, nec unum & alterum ſine fide: ergò hæ virtutes ſunt inſeparabiles; ergò una virtus ſine alterâ poſſideri haud poteſt.

Reſp. S. Auguſtinus non docet, quæ docuit Lutherus: (cujus doctrinam Janſenius ejúſque diſcipulus Quenellus videntur ad litteram deſcripſiſſe) nimirum, quòd fides non ſit ſine amore; ſed docet, quòd amor non ſit ſine fide: grandis diverſitas: Deus amari nequit, quin cognoſcatur per fidem; ſed poteſt cognoſci per fidem, nec tamen amari, imò odio haberi, prout odio habetur â dæmonibus, qui etiam credunt, & contremiſcunt. Quoad eloquium S. Auguſtini, ſpem quoque non poſſe exiſtere ſine amore; etiam illud veriſſimum eſt: quippe quòd ſpes ipſa ſit amor, ſi non amicitiæ, ſaltem concupiſcentiæ: amor, quem S. Thomas appellat amorem minùs perfectum, qui præcedit amorem charitatis perfectæ; *quanquam*, inquit S. Doctor, *(a) ſpes charitate prior ſit perfectione, tamen charitas ſpem antecedit:* dein manifeſtum eſt,

[a] 2. 2. q. 17. a. 2. 8.

moraliter impoſſibile eſſe, ut verè deſideretur, & plenè poſſideatur ſummum bonum ſine quâdam inclinatione benevolentiæ erga illud; quæ poſſet vocari charitas inchoata, tametſi necdum foret charitas vera & propriè dicta, ut écontra volunt Janſenius & Quenellus.

§. V.

Qualificatio Propoſitionum damnatarum.

HÆ quinque propoſitiones merentur propè omnes iiſdem qualificationibus inſigniri: ſunt falſæ, erroneæ, & proximæ hæreſi.

1. Sunt *falſæ* ex omnibus hucúſque allegatis rationibus.

2. Sunt *erroneæ*, opponuntur enim veritati in Scripturis contentæ, & quam inde inferimus per ratiocinium: talis veritas eſt, quòd propriè dicta charitas non ſit prima virtus, nec principium omnium virtutum, & quòd poſſint aliæ virtutes ſubſiſtere ſine charitate.

3. Sunt ſaltem *hæreſi proximæ*, ſi non penitùs & formaliter hæreticæ: videntur enim eſſentiali cohærere copulâ cum doctrina hæreticorum, qui arguunt de peccato omnia prorsùs opera, juſtificationem præcurrentia, quíque volunt nunquam amitti charitatem, quin ſimul deperdantur & fides & omnes reſiduæ virtutes; qui denique totum dogma hîc recenſitum ſtabiliunt in hoc ſolo principio, videlicet, neminem bonum operari niſi ex fide, quæ per charitatem operetur.

PRO-

PROPOSITIO LV.

DEus non coronat niſi charitatem ; qui currit ex alio impulſu & ex alio motivo, invanùm currit.

PROPOSITIO LVI.

DEus non remunerat niſi charitatem, quoniam charitas ſola Deum honorat.

§. I.

Senſus naturalis propoſitionum.

DEus non coronat niſi charitatem *veram & propriè dictam*: qui currit ex alio impulſu & ex alio motivo, *quantumcunque bono*, invanùm currit.

Deus non remunerat niſi *veram* charitatem ; *non autem cæteras virtutes*: quoniam charitas ſola Deum honorat.

Hactenus unicè tetigimus, ac demonſtrare conati ſumus bonitatem & utilitatem actionum Chriſtianarum, quæ fiunt à peccatoribus : modò autem agendum eſt de iiſdem Chriſtianis actionibus, prout fiunt à juſtis, ac oſtendendum, quænam ſint conditiones neceſſariæ & eſſentiales, ad hoc, ut ejuſmodi actiones ſint verè meritoriæ & dignæ remunerationis & coronationis in æternâ hæreditate. Circa quod plures formantur quæſtiones in Theologiâ, quas hic ad longum deducere non vacat : ſequens inter eas eſt præcipua & principalis ; videlicet, utrùm in homine juſto ad actionem verè meritoriam gloriæ æternæ ſufficiat, quòd illa actio exerceatur ex principio & motivo ſupernaturali ; vel utrùm neceſſe ſit, eam im-

imperari à charitate, quâ juſtus ſuam operationem actualiter aut virtualiter ad Deum referat. In exemplo. Satíſne eſt juſto ad promerendum Cælum, quòd Deum adoret, ex dictamine profundiſſimi reſpectûs, quem habet erga infinitam ejus magnitudinem, vel requiritúrne, ut Deum adoret ex motu & motivo amoris, quia eum agnoſcens ut infinitè amabilem, omni, quâ poteſt, gloriâ & honore proſequitur?

Theologi circa præſens quæſitum non concòrdant; quidam volunt, ad actionem verè meritoriam vitæ æternæ ſufficere, quòd fiat in charitate, hoc eſt, in & cum charitate habituali, quæ tribuit actionibus ſupernaturalibus juſtorum ſufficientem dignitatem ad verum meritum: écontra docent alii, ad verum meritum non ſufficere, ſi actiones fiant in & cum charitate habituali, ſed requiri, ut fiant ex charitate, quæ verè influat in actiones per modum cauſæ efficientis, eáſque actualiter aut virtualiter ad Deum tanquam ultimum finem & ſummum bonum ordinet. Hæc opinio eſt S. Thomæ & S. Bonaventuræ, à quorum ſententiis vix videtur poſſe diſcedi ſine periculo errandi.

Verùm ſequitúrne exinde, nullam dari virtutem verè meritoriam præter charitatem? profectò non: ingens enim intercedit diſcrimen inter duas has propoſitiones: Nulla datur virtus meritoria ſine charitate; &; nulla datur alia virtus meritoria quàm charitas. Prima involvit veritatem fidei ſaltem in unâ ex duabus ſententiis, mox ſupra relatis; altera continet errorem indefenſibi-

lem : quælibet virtus ſpecialis , dicunt Catholici Theologi , habet ſuum characterem ſpecialem, quanquam ſubordinatum charitati : meritum caſtitatis non eſt meritum paupertatis , nec meritum paupertatis eſt meritum obedientiæ : ſic etiam meritum charitatis non eſt meritum harum trium virtutum , & viciſſim : tametſi tres hæ virtutes non habeant meritum ſine charitate.

Propemodùm ea eſt conditio virtutum in ordine & reſpectu ad charitatem, quæ eſt circa diverſas vitas in homine. Homo vivit triplici vitâ , vegetativâ, ſenſitivâ, & rationali : quamvis vita vegetativa & ſenſitiva non vivant in homine ſine vitâ rationali , hoc eſt, ſine animâ, quæ eſt ſubſtantia intellectualis & rationalis; non tamen ex eo conſequitur , quòd duplex illa vita non ſibi vendicet verum characterem vitæ , ſibi proprium & particularem , per quem utraque eſſentialiter differt inter ſe , & ſimul à vitâ rationali ſeu intellectuali : Similiter , licèt cæteræ virtutes meritoriæ non ſint abſque charitate , attamen non deſinunt retinere ſpecialem ſuum characterem virtutis & meriti, qui eas diſtinguit eſſentialiter ab invicem , & à charitate.

Quenellus vel ex defectu ſat penetrantis ingenii, vel ex defectu Catholicæ ſinceritatis non vult ingredi hanc Theologiam : non ipſi ſufficit dixiſſe , omnes virtutes Chriſtianas nullum habere verum meritum niſi per charitatem ; ſed cæco impetu & genio ſuæ ſectæ raptus , audenter concludit, non dari aliud meritum ,

quàm meritum charitatis, nec per conſequens aliam dari virtutem præter charitatem, Deum non coronare, nec remunerari aliam virtutem in cælis, quàm charitatem, eò quòd hæc ſola ſit vera virtus, ac ſola Deum verè honoret; in quibus Quenellus ſe exhibet fidelem Amanuenſem Janſenij, cujus ſe declarat Zelòſum ubique diſcipulum, ut ſtatim experiemur in ſequente paragrapho.

§. II.

Conformitas propoſitionum damnatarum cum doctrinâ Janſenij.

Janſ. tom. 3. *l.* 5. *cap.* 3. S. Aug. docet, *nullam prorſus aliam dari virtutem* Creaturæ rationalis, præter amorem Dei. Profectò hæc doctrina parebit valdè peregrina Sectatoribus Philoſophiæ moralis Ariſtotelis.

Et paulò infra. Ecce quomodo ſanctus Doctor abſolutiſſimè definiat, *quòd virtus ipſa ſit charitas*, qua amatur, quod amari debet, nimirum Deus..... S. Auguſt. docet eodem loco, quòd homo non ſit dotatus aliis virtutibus, *niſi in quantum plus vel minus Charitatis habeat.*

Et infra. Cùm igitur bona voluntas nihil ſit aliud, quàm ipſa charitas, hinc evidenter ſequitur, *quòd virtus hominis nihil ſit aliud, quàm Charitas.*

Et infra. Impoſſibile eſt amare juſtitiam, *niſi ex hâc ardente charitate, quam Spiritus ſanctus infundit & inſpirat cordibus noſtris.* Veritas enim & forma juſtitiæ, quæ eſt in Deo, nihil eſt aliud, quàm ipſe Deus. Cùm igitur anima nec poſſit vivere, nec eſſe bona & juſta, ſi non diligat hanc

hanc Formam Juſtitiæ, quæ eſt in Deo, hinc evidens eſt, quòd virtus, bonitas & juſtitia, quæ eſt in homine, *non ſit alia res quàm amor Dei.*

§. III.

Probatur Veritas Catholica propoſitionibus damnatis oppoſita.

Ex Ratione.

VIx meliùs evincitur, quòd charitas non ſit virtus generica, ſed particularis, eſſentialiter diverſa ab aliis, quibus proin convenit meritum ſuum particulare & proprium, quàm Authoritate & ratiocinio S. Thomæ. Verum eſt, quòd hic S. Doctor, ut dicit Janſenius, *ſit ſectator Moralis Philoſophiæ Ariſtotelis*; attamen arbitror, nullum fore Catholicum, qui non malit ſequi pium Sectatorem Moralis Philoſophiæ Ariſtotelis, quàm Sectatorem impium hæreticæ Theologiæ Lutheri & Calvini: ſic argumentatur S. Thomas. *(a)*

„ Quod eſt genericum & univerſale, non ponitur in „ numero rerum particularium; charitas ponitur in nu- „ mero rerum particularium; nimirùm fidei, ſpei, juxta „ id, quod teſtatur Apoſtolus: *(b) nunc autem fides, ſpes, „ charitas, tria hac*: ergò charitas non eſt virtus univer- „ ſalis aut generica, ſed virtus diverſa à cæteris. „

Alia demonſtratio deducta ex eodem S. Doctore: „ Actus & habitus contrahunt ſuum characterem, ſeu, „ quod idem eſt, ſpecificantur à ſuis objectis formalibus:

(a) 2. 2. q. 23. a. 4.
(b) 1. Co. 13.

Digitized by Google

„ at verò, cùm omnes virtutes habeant diverſa objecta „ formalia, neceſſariò ſequitur, eas eſſentialiter differre. „ Verum eſt, hoc commune eſſe omnibus virtutibus, „ quòd omnes bonum reſpiciant: cùm autem diverſæ „ dentur *rationes* boni, ideò oportet dari plures ſpecies „ virtutum, quibus convenit ſpeciale meritum propter „ ſpecialem rationem boni, ad quod reſpiciunt: *& ideò*, „ *ubi eſt ſpecialis ratio boni, ibi eſt ſpecialis ratio amoris.* „

Deinde quis Theologorum ignorat, dari in cælis retributiones & aureolas ſpeciales, non omnibus Sanctis conceſſas? dari coronas & manſiones differentes ſecundùm diverſa Sanctorum merita, quibus diſtinguuntur adinvicem ex diverſarum virtutum praxi? alia ſine dubio eſt corona Confeſſorum, alia Martyrum; alia eſt aureola Doctorum, alia Virginum; utique caſtitati alia repoſita eſt corona juſtitiæ, quàm paupertati; nec eo modo recompenſabitur paupertas quo obedientia; peramæna iſthæc varietas coronarum in Cælis adumbrat partem pulchritudinis in Eccleſiâ triumphante, ſicut diverſitas virtutum adumbrat partem pulchritudinis in Eccleſiâ militante.

Quis verò nos convincat efficaciùs, quâlibet virtute verè honorari Deum, ac cuilibet ſpecialem aſſignari mercedem, quàm encomia, quæ ſingulis virtutibus in ſacris litteris attribuuntur? item, quàm ſpeciale illud meritum, quod ſingulis virtutibus appropriatur à Spiritu ſancto, ac Patribus Eccleſiæ? jam in hunc ſcopum quædam loca citavimus: ampliora accipe, quæ non minorem merentur attentionem.

Digitized by Google

Ex Scripturâ.

1. *Cor.* 13. 13. Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, *tria hæc*: *major* autem horum eſt charitas.
Reſp. Si charitas major eſt cæteris virtutibus, utique cæteræ illæ virtutes etiam in ſeipſis continebunt quoſdam gradus magnitudinis aut meriti.

Math. 9. *v.* 2. Et videns Jeſus *fidem* illorum, dixit Paralitico: *confide*, fili, remittuntur tibi peccata tua.

Luc. 1. 45. Beata, quæ *credidiſti*, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.

Act. 14. 8. Quidam claudus audivit Paulum loquentem, qui intuitus eum, & videns, quia *fidem* habebat, ut ſalvus fieret, dixit magna voce; ſurge ſuper pedes tuos.

Rom. 3. 4. *Credidit* Abraham Deo: & reputatum eſt ei ad juſtitiam.

Reſp. An non ſpeciale meritum fidei clarè eluceſcit ex his teſtimoniis?

Pſalm. 36. 4. Adjuvit eos Dominus, & liberavit eos: & eruet eos à peccatoribus, & ſalvabit eos, *quia ſperaverunt* in eo.

Iſa. 40. 31. Qui autem *ſperant* in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.
Reſp. Vides etiam meritum ſpeciale ſperantis in Domino.

Eccl. 3. 21. Quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab *humilibus honoratur*.

Luc. 1. 18. Quia reſpexit *humilitatem* ancillæ ſuæ.

Id.

Digitized by Google

Id.c. 14. 11. Qui ſe *humiliat*, exaltabitur.

1. *Reg.* 15. 22. Melior eſt *obedientia* quàm victimæ: & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum.

Prov. 21. 28. Vir *obediens* loquetur victorias.

Pſalm. 73. 21. *Pauper* & inops laudabunt nomen tuum.
Reſt. Itaque Deus honoratur per paupertatem evangelicam.

Prov 22. 11. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam *labiorum ſuorum*, habebit amicum Regem.
Reſt. Puritas cordis gaudet charactere ſpeciali pulchritudinis & ſanctitatis.

Apoc. 14. 3. Nemo poterat dicere canticum, *niſi illa centum quadraginta quatuor millia*, qui empti ſunt de terrâ. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Hi ſequuntur agnum, quocunque ierit.

Pſalm. 49. 23. Sacrificium *laudis* honorificabit me.

Dan. 12. 3. Qui autem *docti* fuerint, fulgebunt ut ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam *erudiunt* multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

Apoc. 7. 13. Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? Hi ſunt, *qui venerunt de tribulatione magnâ*, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine agni.
Reſt. Quis non videt ex his textibus ſpecialem Gloriam & diſtinctas aureolas Doctorum, Martyrum, & Virginum.

Marc. 9. 8. Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi in oratione & jejunio.
Reſt. Ergò tam jejunia quàm orationes habent ſpeciale ſuum meritum, quale non habetur in aliis virtutibus.

Math.

Digitized by Google

Math. 5. 3. Beati *pauperes ſpiritu*.... Beati *mites*.... Beati qui *lugent* &c.

Reſ. Singulis beatitudinibus ſpeciale tribuitur meritum, ac propria remuneratio.

Ex Patribus.

Aug. enchir. c. 3. Fide, ſpe, & charitate *colendus eſt Deus*.

Reſ. Ergò Deus non per ſolam charitatem honoratur, & colitur.

Id. ſerm. 27. Domus Dei *credendo fundatur, ſperando erigitur*, diligendo perficitur.

Id. de ver. Relig. c. 54. *Deum laudat*, qui eum *perſuadet fide, exſpectat ſpe*, & quærit charitate.

Bern. ſerm. 72. *de divers.* Cultus Dei *in tribus* conſiſtit, fide, ſpe, & charitate.

Reſ. Igitur non in uno ſolo conſiſtit cultus divinus.

Laur. Juſt. de lig. vit. l. de char. c. 5. Affectionum autem ad cultum Dei pertinentium *una eſt timor*.. *Alia ſpes*.. Alia eſt amor.

Ambr. præf. in Luc. Sanctus Marcus in principio ſtatim locandum putavit: *Ecce ego mitto Angelum meum*.... Ut & admirationem moveret, & doceret, hominem *humilitate, atque abſtinentiâ, & fide* placere debere.

Bonav. l. 3. *d* 9. *dub.* 1. Deus non tantùm colitur dilectione, *ſed etiam fide*.

Guer. Ab. ſerm. in Nativ. B. V. Tunc veritas Chriſti in te impreſſa eſt, ſi veritatem, quæ ipſe eſt, agnoviſti, & agnitam glorificâſti, *timore videlicet, & ſpe*.

Ambr. ep. 84. *ad Demetr.* Magna eſt *in verâ humilitate*

felicitas, cui Deus dilectio, Deus ſapientia, Deus conſilium, Deus fortitudo eſt.

Hier. hom. 12. *in Pſalm.* 50. *v.* 18. *Sacrificium maximum* humilitas eſt.

Aug. tract. 104. *in Joan.* Humilitas charitatis *eſt meritum*, charitas humilitatis præmium.

Bern. l. 2. *de conſid. ad Eug.* Nulla *ſplendidior gemma* in omni ornatu, quàm humilitas.

Aug. conc. 2. *in Pſalm.* 70. *v.* 21. Non potuit Deus perfectiùs demonſtrare, quantum ſit bonum obedientia, niſi cùm prohibuerit ab eâ re, quæ non erat mala: *ſola ibi obedientia tenet palmam.*

Id. ſerm. 5. *ad fratres in Erem.* O venerabilis ſanctáque obedientia! *ſalus omnium fidelium*, *cuſtodia omnium virtutum*, tu cælum aperis, & infernum claudis.

D. Bonav. Dict. tit. 4. *c.* 2. *Obedientia eſt ſumma in merito*, vicina Deo, proxima Cælo.

Aug. de contempt. Mund. c. 7. Felix paupertas, per quam cæleſtis *acquiritur hæreditas.*

D. Bonav. ſerm. 1. *Dom.* 22. *poſt Pent.* O ſacratiſſima virtus & omni laude digniſſima paupertas!... quæ *ſolo tuo commercio* terrenos & miſeros homines ad tantam honoris excellentiam extollis; ut eos hæredes regni cælorum inſtituas.

Id. ſerm. 2. *omnium SS.* Quid pretioſiùs verâ paupertate, quæ *pretium regni cæleſtis?*

Hier. ep. 14. *ad Celantiam.* Arduum eſt iter caſtitatis, ſed *magna ſunt præmia.*

Aug. de Sanct. Virg. c. 27. Gaudia propria Virginum

Chriſti *non ſunt eadem* non Virginum, quamvis Chriſti. Nam ſunt aliis alia, *ſed nullis talia.*

Leo in Hortul. Roſar. c. 9. ſect. 3. Homo caſtus *amicus eſt Dei, Angelorum ſocius*, Virginum cognatus, Sanctorum civis amatus.

Aug. l. de Spir. & litt. c. 3. *Colitur* autem Deus *ſacrificio laudis*, & gratiarum actionis.

Cypr. de laud. Marty. c. 16. *Martyrij eſt inæſtimabilis gloria*, infinita menſura, immaculata victoria, nobilis virtus, incomparabilis titulus, triumphus immenſus.

Aug. l. 1. *qq. Evang. q.* 9. Centeſimus fructus *Martyrum* eſt.

D. Bonav. ſerm. 2. *de S. Barth.* Triplex legitur corona in Scripturâ: una aurea, altera ſtellea, tertia lapidea. Prima corona datur Virginibus, ſecunda Prædicantibus, tertia Martyribus.

Aug. ſerm. 23. *ad fratres in Erem.* O ſacrum jejunium! Tu corpus refrænas, ne ſurgat: tu virtutes incitas, ut reſurgant; tu reum illuminas, & ſanas, ut vivat.

Eccl. in præf. Miſſ. Deus, qui *corporali jejunio* vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.

Bonav. dict. titul. 9. *c.* 2. *Aliæ virtutes coronam merentur*; ſed ſola perſeverantia coronatur.

Hug. à S. Vict. Erudit. Theolog. in ſpecul. Eccl. c. 6. Hîc ſi quis dicat, quòd ſola charitas eſt ſolùm remunerabilis; verum quidem eſt, ſi ita intelligat, *quòd ſola non excludat alia*, ſed aliorum comparationem tollat: vel nulla ſine eâ, & niſi propter eam remunerandam eſſe.

Et infrà, Multa bona in Sanctis remunerat præter charitatem, non quaſi ſine charitate: *ſed multa, quæ non ſunt illa charitas.* Nunquid enim nos dicemus, quòd fides non *habeat meritum?* abſit. Et tamen ipſa non eſt charitas, ſine eâ enim eſſe poteſt; ſimul autem cum eâ *auget meritum.* Sic ergò ſua cætera dona remunerat Deus in his, qui ea cum charitate conſervant.... Et pro ſingulis ſuis donis, ſive virtutibus, ſive ſacramentis, quæ per charitatem cuſtodiuntur, *coronas reddit ſingulas.*

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* S. Auguſtinus pluribus in locis dicit, quòd virtus nihil ſit aliud quàm charitas, imò teſtatur, quòd nihil ſit aliud, quàm ſupremus Dei amor: ergò Auguſtinus nullam agnoſcit aliam virtutem præter charitatem.

Reſp. S. Auguſtinus, ut jam ſupra notatum, ſæpènumero ſumit charitatem pro omni amore boni vel juſtitiæ, non autem pro verâ & propriè dictâ charitate, in quo ſenſu verum eſt, quòd virtus non ſit aliud, quàm charitas; quòd ſi nonnunquam verbo *Charitas* intelligat charitatem propriè dictam, tunc nempè, cùm dicit: *nihil omninò eſſe virtutem affirmaverim, niſi ſummum amorem Dei*; intelligendus eſt, juxta reflexionem S. Thomæ ſupra citati, non quòd charitas eſſentialiter ſit omnis virtus, ſed quòd omnes virtutes *aliqualiter* dependeant à Charitate, in quantum ſcilicet nulla datur virtus perfecta & meritoria

toria gloriæ ſine charitate : *non quia ſit*, inquit Doctor Angelicus, *eſſentialiter omnis virtus, ſed quia dependent ab eâ aliqualiter omnes virtutes.*

2. *Object.* Docet præterea S. Auguſtinus, quòd ille ſolummodò Deum verè laudet & glorificet, qui Deum ſincerè amat, & quòd non niſi amando cultus Deo exhibeatur : ergò verum eſt, quod docet Quenellus, ſolâ charitate Deum honorari, eámque ſolam à Deo remunerari.

Reſp. In duplici ſenſu verum eſt, quòd verus Dei cultus conſiſtat in verâ charitate; partim, quoniam omnis cultus Deo exhibitus reducitur ad amorem, qui eſt finis & plenitudo legis; partim, quia cultus non eſt perfectus, completus & meritorius ſine charitate : in duplici hoc ſenſu locutus eſt S. Auguſtinus, non ex eo intendens deſtruere ſpeciale meritum cujuslibet virtutis, quod tantoperè extulit in mille locis ſuorum voluminum.

§. V.

Qualificatio propoſitionum damnatarum.

HÆ propoſitiones ſunt falſæ, impiæ, ſcandaloſæ, erroneæ, faventes hæreſibus, ac proximæ hæreſi.

1. Sunt *falſæ*; hujus falſitatis nos convincunt allatæ rationes & authoritates.

2. Sunt *impiæ* : quia dum ſuadetur & inculcatur, omnes virtutes exceptâ charitate eſſe inutiles, Deum per illas non honorari, Deum illas non remunerare, læditur pietas, cultus Deo debitus ex parte avellitur, honor divinus laceratur, atque minuitur.

 3. Sunt

3. Sunt *ſcandaloſa*: quia ſub ſpecioſo ambitu perfectionis cauſant proximi ruinam ſpiritualem; fraudulenter inducunt neglectum aliarum virtutum in Evangelio præſcriptarum, quarum praxis non ſolùm neceſſaria eſt ad ſalutem, ſed & ad acquiſitionem ipſiusmet charitatis.

4. Sunt *erronea*: quippè, quòd manifeſtè inferatur ex pluribus ſacri Codicis textibus, charitatem non eſſe unicam virtutem, quâ Deus honoratur, quæque à Deo recompenſatur.

5. Sunt *faventes hæreſibus*, præſertim Quietiſmo, cujus ſolemne principium & fundamentum eſt, cunctas virtutes, univerſa bona opera ad charitatem reduci, cujus exercitium præcipuum eſt, ſeſe charitatis prætenſæ impreſſionibus conducendum tradere, & quæ ſunt cætera, pacifico otio diſſimulare.

6. Sunt *hæreſi proxima*, ſi non formaliter hæreticæ: non enim apparet, quibus terminis patentioribus magíſque formalibus poſſit exprimi, *nullam aliam dari virtutem præter charitatem*: deinde vix videtur, quâ ratione poſſit pronuntiari abſque notâ hæreſis, ſolâ charitate honorari Deum, eámque unicam remunerari; pugnat enim tale effatum oppoſitione contradictoriâ cum clariſſimis Scripturarum teſtimoniis, ſingulis virtutibus ſingula ſua merita aſſignantibus.

PROPOSITIO LVII.

TOtum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.

PRO-

PROPOSITIO LVIII.

NEc Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt charitas.

§. I.

Senſus Naturalis Propoſitionum.

O*Mnes virtutes* deſunt peccatori, quando ei deeſt ſpes; & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt *verus* amor Dei.

Nec Deus eſt, nec Religio, *nec fides, nec ſpes, nec ulla alia virtus*, ubi non eſt *vera* charitas.

Nemo non advertit, has duas propoſitiones iteratò refricare errores, in præcedentibus inculcatos; nimirum, nullam dari virtutem præter charitatem, & cum amiſſione charitatis ſimul incurri jacturam omnium aliarum virtutum, nequidem exemptâ Spe, & Fide. Totum, quo præſentes propoſitiones diſcrepant à prioribus, videtur eſſe, quòd illæ obſcuriùs, hæ clariùs errent, & quidem modo tam explicito, ut vel invitus eas inter hæreticas afferat, utpote *ab hæreſi* inexcuſabiles. *Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.* inquit Quenellus. Qui affirmat totum, nihil negat, nec excipit; ergò omnes virtutes univerſim excluſæ manent: incaſsùm reclamat Author Hexaplarum, hunc eſſe *vilem altercandi pruritum*; „ ſequendo talem methodum, ait, *(a)* abolirentur tritiſſimæ expreſſiones; „ ita ut, cùm egenus per regiones civitatis clamaret, omnia ſibi deeſſe, proceſſus contra ipſum movendus foret: impoſtor audiret, quòd egeſtatem ſuam incircumſcriptam clamitans in plateis etiamdum poſſeſſor ſit corporis & animæ, inſuper & veſtimentorum, quibus tegitur. „

(a) pag. 63. col. 4.

Ita omninò eſt: impoſtor audiret talis mendicus, ſi divulgando, omnia ſibi deeſſe ad victum & amictum, reſidua haberet adhuc alimenta & veſtimenta: ſi verò querulus ſit, omnia ſibi deeſſe, unde vivat, nemo ſenſatus intelligit, ipſi deeſſe corpus & animam unà cum laceris ſemi-tegumenti centonibus; ſed omnes capiunt verbum iſtud, nempe miſero deeſſe totum ad refocillandam animam, ac protrahendas miſeræ vitæ reliquias: pariter, quando peccator conqueritur, totum ſibi deeſſe, ideò, quòd deſit charitas, jure merito inſtruitur proceſſus contra ipſum, eóſque, ex quibus hanc cantilenam hæreticam didicit; nemo enim ſupponit, quòd illi, cui deeſt charitas, deficiat quoque corpus & anima, libertas & ratio, ſed intelligitur tali peccatori deeſſe, quidquid medij ad ſalutem requiritur. Itaque talis peccator clamans omnia ſibi deeſſe, idcircò, quòd deſit charitas, non ideò poterit dici impoſtor, quia adhuc poſſidet rationem & libertatem; ſed ideò objurgari tanquam impoſtor poterit, quòd adhuc reſiduas habens gratias orationis, ſpei, ac maximè fidei, in qua tanquam in germine & radice continentur non duntaxat cætera ad ſalutem media, ſed & ipſa charitas; nihilominùs mentiatur omnimodam egeſtatem, & penuriam omnium, ad vitam æternam ſervientium.

Verùm exactiore trutinâ pònderemus allatam comparationem Authoris ſex Columnarum: Quid ſi talis calamitoſus, de quo meminit Hexapliſta, poſt totalis ſuæ indigentiæ declamationem genericam ad ſingula deſcenderet?

deret?

Digitized by Google

deret? quid ſi ad aucupandam tranſeuntium commiſerationem eloquentiùs intonaret per enumerationem partium, ejulando; deeſt panis, deſunt denarii redimendæ vitæ, deſunt creditores ad pellendas famis & ſitis injurias, deeſt corporis valetudo ſubeundis laboribus; ægritudine, doloribus, ærumnis exhauſto nihil præter egeſtatem ſupereſt: naturam non abſtulit pauperies, ſed naturæ ſubſidia: nónne flebilis iſthæc oratio ſatis foret intelligibilis? nónne ſermo abundè clarus & explicitus? talis eſt ſermo Quenelli. Non contentus, ſe generaliter dixiſſe, totum deeſſe peccatori, cui deeſt charitas; enumerat, atque exenterat, charitate egenum eſſe *ſine Deo*, *ſine ſpe*, *ſine Religione*: peccator, reſpectu cujus *nec Deus eſt*, conſequenter à Deo totaliter derelictus eſt, utpote homo, cui Deus nec unicam confert gratiam: ſimiliter peccator, reſpectu cujus *nec Religio eſt*, conſequenter nullius fidei eſt, cùm fides ſine Religione ſubſiſtere nequeat, nec Religio ſine fide: ergò miſer peccator omni ſalutis medio & remedio deſtitutus jacet. En! quid peccaverit his propoſitionibus Quenellus, & quid damnaverit Eccleſia.

§. II.

Probatur Veritas Catholica ex Scriptura & Patribus.

Luc. 15. 17. Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus? ego autem hîc fame pereo. Surgam, & ibo ad Patrem meum.

Reſ. Peccator, qui ſic loquebatur, nónne habebat fidem, & ſpem, tametſi charitate privatus?

Joan. 12. 42. Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum; ſed propter Phariſæos non confitebantur, ut è Synagogâ non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm Gloriam Dei.

Reſ. Vides igitur, hos Principes habuiſſe fidem, nec tamen habuiſſe charitatem.

1. *Cor.* 13. 2. Si habuero *omnem fidem, ita ut montes* transferam: charitatem autem non habuero, nihil ſum.

Conc. Trid. Seſſ. 6. *Can.* 28. Si quis dixerit, amiſsâ per peccatum gratiâ *ſimul & fidem amitti*; aut fidem, quæ remanet, *non eſſe veram fidem*; licèt non ſit viva.... Anathema ſit.

Clem. Alex. l. 7. *ſtrom.* Ac mihi videtur quidem eſſe quædam prima ſalutaris mutatio, *quæ ſit à gentibus ad fidem: ſecunda, quæ à fide ad cognitionem*: illa verò traijciens ad *charitatem.*

Ambr. in Pſalm. 118. *v.* 166. Qui exſpectat, ſperat charitatem: *ergò ſpes præcedit*, ſequitur ſalus: *ſpes igitur præcurrit affectum.*

Chriſ. in 1. *ep. Cor. c.* 3. Si quis malè vivit *cum fide rectâ*; auxilium ei fides non præſtabit, ut non puniatur opere perdito.

Aug. in Pſalm. 103. Non ergò ſe jactent, qui fortâſſe *ſine charitate* habuerint hoc munus ſanctum. (prophetiæ.)

Id. ſerm. 90. *de verb. Evang. Math.* 22. Hoc moneo, ut habeatis fidem cum dilectione, quia *poteſtis habere fidem ſine dilectione.*

Id. l. 15. *de Trin. c.* 18. *Sine charitate quippè fides quidem poteſt eſſe*, ſed non prodeſſe.

Id. in. Ep. Joan. tract. 10. Jam credit in Chriſtum, *ſed odit* Chriſtum .... adde huic fidei dilectionem; ut fiat fides, qualem dicit Apoſtolus: *fides quæ per dilectionem operatur.*

Id. Enchir. c. 118. Qui non amat, inaniter credit; *Etiamſi ſint vera, quæ credit*: inaniter ſperat; *etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere*, quæ ſperat: niſi & hoc credat & ſperet, quod ſibi petenti donari poſſit, & amet. Quamvis enim ſperare ſine amore(ſubintellige,ſine amore concupiſcentiæ) non poſſit, *fieri tamen poteſt, ut id non amet*, ſine quo ad id, quod ſperat, non poteſt pervenire: tanquam ſi ſperet vitam æternam (quam quis non amat!) *& non amet juſtitiam*, ſine quâ ad illam nemo pervenit.

Guill. Abb. l. de nat. & dignit. amor. c. 6. Poteſt eſſe, *ut fides & ſpes ſint ſine charitate*: ut autem charitas fidem & ſpem in ſe non contineat, non poteſt eſſe.

Laur. Juſt. de lign. vita. l. de fide. c. 3. Hæc nempè fides, quâ credunt dæmones & homines mali, Deum eſſe, qualitas eſt mentis, ſed informis, *quia ſine charitate eſt*; quam homines malos poſſe habere Apoſtolus declarat, dicens: *ſi habuero omnem fidem.* &c.

Hug. à S. Vict. in Ep. 1. *Cor. q.* 121. Charitati non poſſunt fides & ſpes deeſſe; *fides verò, & ſpes ſine charitate eſſe poſſunt.* Dicunt tamen quidam, quod fides ſine

charitate eſſe non poteſt, quorum error hic deſtruitur; cùm enim dicit (Apoſtolus,) ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, (& conſequenter fidem perfectam) charitatem autem non habuero, nihil ſum &c. Innuit manifeſtè, quòd *fides etiam perfecta* poteſt haberi ſine charitate.

D. Bonav. l. 3. *d.* 23. *a.* 2. *q.* 1. *c.* Accipiendo virtutem, ut habitus rectificans potentiam aliquâ rectitudine juſtitiæ, & vigorans eam circa opus difficile, habitus politici informes dicuntur eſſe virtutes. Hoc etiam modo fides *informis*, quæ quidem eſt in malis Chriſtianis, *habet eſſe in genere virtutis....* ſicut apparet in multis Chriſtianis carentibus charitate, qui libenter & humiliter audiunt verba ſpectantia ad doctrinam fidei, & conſtanter & viriliter abhorrent hæreticam pravitatem.

PROPOSITIO LIX.

ORatio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

O*mnis* oratio impiorum *ſemper* eſt novum peccatum, & *omne*, quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.

Simulat Author Hexaplarum, ſe hoc loco plurimùm laborare, ut intelligat, quid ſibi voluerint denuntiatores hujus propoſitionis; " num fortè, quærit, (*a*) tri-
„ buere Quenello cogitaverunt execrabile illud dogma,

(*a*) pag. 57. col. 4.

„ quòd impii peccent, incipientes ad Deum recurrere?
„ quòd ſit peccatum, ſi derelinquat impius viam ſuam, ſe
„ extricando è ſtatu peccati, Deúmque interpellando
„ humili precatione? ipsíne crediderint, Quenellum ver-
„ ſari in hujuſmodi errore? & quid aliud intenderunt his
„ ſimilibus attentatis, niſi mundo palam facere, eorum
„ denuntiationes proficiſci tam ex ſpiritu calumniæ,
quàm erroris?

Abſque metu nimiæ evagationis poteſt aſſecurari Author Hexaplarum, quòd denuntiatores hujus propoſitionis, dicam potiùs, quòd ſummus Pontifex, qui eam damnavit, probè fuerit inſtructus, Quenellum hoc loco eundem errorem affirmâſſe, quem ejus Apologiſta negat; partim, quia hic error occurrit naturaliter intellectui legentis ex propriè ſonantibus & ſignificantibus terminis; partim, quia fluidè ſequitur, utpotè ſequela neceſſaria, ex principiis à Quenello alibi ſtabilitis.

1. Hæc propoſitio, *oratio impiorum* &c. eſt propoſitio indefinita: atqui omnis propoſitio indefinita in materiâ dogmaticâ, ut jam notavimus, eſt univerſalis; ergò certum, quòd ſit intelligenda de omni oratione impiorum, cujuſcunque naturæ ſit, & quòd Quenellus hîc clarè doceat, *omnes* peccatorum preces *ſemper* eſſe nova peccata: Fruſtrà tergiverſatur Author ſex Columnarum (a), „ ſatis „ eſſe ſi conſideretur, in qualibus circumſtantiis Que„ nellus hanc propoſitionem poſuerit, ut eam purges ab „ omni inquinamento ſiniſtræ intentionis, ipſi affigen-

[a] pag. citat.

„ dæ. Circumſtantiæ, quæ monſtrant, Quenellum ora-
„ tiones impiorum applicare iis, qui orantes ſequuntur
„ Judæos, de quibus ibidem agitur; id eſt, qui orant cum
„ injuſtitiâ, ingratitudine, malitiâ, duplicitate, inſolen-
„ tiâ.„ Hæ circumſtantiæ ſunt prorſus ſteriles pro juſtificandâ Quenelli causâ: quidquid enim præcedit propoſitionem hîc ventilatam, nullam omninò habet connexionem cum illâ; diſcurſus Quenelli non eſt diſcurſus connexus aut concatenatus, ſed interciſus, ſine ordine & delectu coacervatus ex variis reflexionibus, ſolâ diſtantiæ localis relatione invicem colligatis. Et, quod eſt hâc in re præcipuum, ipſemet Quenellus non ſpernendâ ſedulitate præſentem ab antecedente Reflexione ſegregavit majore interpunctione; quâ innuit, nullum affinitatis ligamen eſſe inter utramque in ſuis Ideis & conceptibus. Quòd ſi in editione de A.° 99. loco verborum, *oratio impiorum*, ſubſtituit terminos, *talis oratio;* non tamen ex eo magis excuſabilis eſt, cùm id fecerit celandæ impietatis gratiâ, quæ in priore editione quid nimium horroris præſeferebat; quam tamen impietatem, non obſtante hâc correctione in ſecundâ editione, necquidquam imminuit, cùm in continuandis ut plurimùm iiſdem principiis immotus perſtiterit.

2. Et verò, ſi ita ſit, ut vult Quenellus; *(a)* quòd *nihil remaneat animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum & peccati conſecutiones, ac generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*, ſi ita ſit, in-

(a) propoſ. 1. & 48.

quam,

quam, quòd *ſine Chriſto, ſine charitate nihil aliud eſſe poſſimus, niſi tenebræ, niſi aberratio & niſi peccatum*, nónne ſequela urget, peccatorem, qui caret gratiâ & charitate, fundere coram oculis Domini preces abominabiles, tanquam novum argumentum divini judicii & condemnationis in eum? "at, replicat Author Hexapliſta; „(*a*) an non Que-„nellus fatetur, orationem peccatorum, qui habent de-„ſiderium quoddam converſionis, eſſe Deo gratam?„ Verum eſt, hoc eum fateri; ſed quis eſt penes ipſum ſtatus peccatorum, quorum preces ſunt Deo gratæ? ſtatus imaginarius & chimericus, cujus nulla unquam viſa ſunt veſtigia nec in Scripturis & SS. Patribus, nec in ullo ex Catholicis Theologis: ſtatus, inquam, in quo prætenſus peccator ex primo impulſu gratiæ recepit *ſummum amorem*, prout eum vocat Janſenius, (*b*) amorem ſincerum, caſtum, gratuitum, divinum & ſupernaturalem; verbo: charitatem veram & propriè dictam. Talis eſt, juxta Quenellum, ſtatus prætenſi peccatoris, cujus preces Deo ſunt gratæ & acceptæ; quia, inquit alio loco, (*c*) *talis peccator odit peccatum ex amore ipſiusmet Dei.*

Hoc nixus principio Quenellus pronuntiet, quantum voluerit, orationem peccatoris eſſe Deo gratam; verùmtamen non in hoc juſtificatus erit, nec minùs hæreticus, quin imò duplo major erit duplicis fautor hæreſeos. 1. Quòd ſic contra definitionẽ Concilii Tridentini teneat, charitatem veram & propriè dictam, diffuſam in cordibus

(*a*) pag. 59. col. 5.

(*b*) t. 3. l. 5. c. 3.

(*c*) in Joan. c. 9. v. 31.

noſtris

noſtris per Spiritûs ſancti gratiam, non verè juſtificare peccatores. 2. Quòd etiam teneat, omnes orationes peccatorum charitate deſtitutorum eſſe peccata.

Necdum ſatis; ponderoſa ſupereſt reflexio facienda: Author ſex Columnarum videtur totum errorem, præſenti propoſitioni tribuendum, in hoc ſolo conſtituere, ſi videlicet per eam diceretur, orationem impiorum, habentium quoddam deſiderium converſionis, eſſe novum peccatum: „ ſenſus reprobus, inquit, (a) qui huic propo„ſitioni poſſet attribui, eſſet ille ſi dicèretur per eam; „ quòd peccator, qui ex diſpoſitione cordis & impulſu „ quodam naſcentis amoris incipit reverti ad Dominum, „ orando committat novum peccatum; „ ſed nunquid ſolus hic ſenſus eſt reprobus? ſupponamus peccatorem de nullâ reconciliatione cum Deo mediante pœnitentiâ cogitare: committétne talis peccator in eo ſtatu toties peccatum mortale, quoties formabit ſuper ſe ſignum ſanctæ Crucis? quoties ſe aſperget aquâ luſtrali? quoties ſolvet preces ſuas matutinas & ſerotinas? quoties ſacrificio Miſſæ intererit, aut aſſiſtet decantandis veſperis? tenebitúrne ſeſe accuſare de omnibus iſtis in ſpecie & numero, ſacram exomologeſin ſubiens? reverà hujuſmodi fanaticus error nec viſus nec auditus eſt, niſi in ſcholis Janſeniſtarum: nemo dubitet, non paucos reperiri inter directores exotici hujus rigoriſmi, qui torqueant pænitentes ſuos, exigendo ſtrictam enumerationem talium, non niſi ex prætenſione peccatorum. Concludendum

(a) pag. 57. col. 5.

igi-

Digitized by Google

igitur, præſentem propoſitionem Quenelli eſſe perverſam in omni ſenſu.

Non hîc immorabimur, monſtrando conformitatem propoſitionis cum doctrinâ Hæreticorum, neque probando veritatem Catholicam eidem oppoſitam ex argumento Rationis; jam enim hoc totum præſtitimus in Analyſi aliarum propoſitionum huic affinium; tantùmmodò hîc obſervandum, quòd, cùm Scripturæ aut Patres dicunt, orationes peccatorum eſſe nova peccata, loquantur de orationibus ex motu pravo, cupiditate vitioſâ, aut voluntate actualiter ſiniſtrâ factis: *ſecundùm id,* inquit S. Thomas, *per quod oratio charitate caret*: vel quòd loquantur de oratione, quæ fit inordinato & perverſo modo, ex vanitate, hypocriſi, ſine attentione, intentione, reverentiâ.

§. II.

Probatur Veritas Catholica Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

3. *Reg.* 8. 38. Si quis cognoverit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hâc: tu exaudies in cælo, & repropitiaberis.

2. *Machab.* 1. 5. Exaudiat Dominus orationes veſtras, & reconcilietur vobis.

Reſl. Si peccatores poſſint reconciliari Deo per orationem, igitur hæc oratio non eſt novum peccatum.

Origen. in Iſ. hom. 6. Et ſi peccatores eſtis, orate Dominum: *Peccatores exaudit Deus.* Quòd ſi timetis illud, quod in Evangelio dicitur: *ſcimus, quia peccatores non ex-*

audit Deus; nolite pertimeſcere, nolite credere: *cacus erat, qui hoc dixit.*

Chryſoſt. cit. à D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *a.* 16. Omnis qui petit, accipit: id eſt, ſive juſtus, *ſive peccator.*

Aug. tract. 44. *in Epiſt. Joan.* Nam & peccatores exaudit Deus, *ſi enim peccatores Deus non exaudiret*, fruſtrà ille publicanus oculos in terram dimittens, & pectus ſuum percutiens diceret: *Propitius eſto mihi &c.*

D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *a.* 16. *c.* Si peccator orando aliquid petit, in quantum peccator; id eſt, ſecundùm deſiderium peccati; in hoc à Deo non auditur ex miſericordiâ, ſed quandóque auditur ad vindictam.... *Orationem verò peccatoris, ex bono naturæ deſiderio procedentem*, Deus audit; non quaſi ex juſtitiâ, quia peccator hoc non meretur, ſed ex purâ miſericordiâ.

Et ad 2. Dicendum, quòd peccator non poteſt piè orare, quaſi ejùs oratio ex habitu virtutis informetur: Poteſt tamen *ejus oratio eſſe pia, quantùm ad hoc, quod petit ad pietatem pertinens*: ſicut ille, qui non habet habitum juſtitiæ, *poteſt aliquid juſtum velle*: Et quamvis ejus oratio non ſit meritoria, poteſt tamen *eſſe impetratoria.*

D. Bonav. in ſpec. diſcipl. p. 1. *c.* 12. Oratio eſt *peccatoris refugium*, iram Dei placat, veniam impetrat.

§. III.

Qualificatio Propoſitionis.

DIcendum, quòd præſens propoſitio ſit ſcandaloſa, impia, blaſphema, hæretica.

1. Eſt

1. Eſt *ſcandaloſa*, quandoquidem peccator tam terrifico præventus principio, nimirum orationem impiorum eſſe novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſſe novum in eos judicium, non ultra deſiderabit exercere ullam actionem Chriſtianam, vivet dæmonis inſtar diabolicè, ruet in laqueum deſperationis ut alter Iſcariotes.

2. Eſt *impia*; ſcindit enim cultum Deo debitum, retrahendo peccatores, ne poſthàc preces ſuas Deo offerant, aliáſve operentur bonas actiones, ad quas & peccator obſtringitur, & Deus ſuo modo honoratur.

3. Eſt *blaſphema*: quia Deum de injuſtitiâ & crudelitate arguit, quaſi damnaret peccatores ad æterna ſupplicia, ſimpliciter, quòd ad eum recurrerint in oratione.

4. Eſt *hæretica*; cùm ſit contradictoriè oppoſita centenis Scripturarum eloquiis, quibus Dominus teſtatur, quòd indoleat peccatori, quòd ejus velit miſereri, nolit mortem ſed vitam, ſemper ſit paratus eum amplecti in oſculo paterno, cùm in ſe reverſus venerit, & oraverit, quòd, cùm clamaverit, exauditurus ſit eum, quòd alas bonitatis & miſericordiæ ſuæ ſuper eum ſit expanſurus; &c.

PROPOSITIO LX.

SI ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem.

PROPOSITIO LXI.

TImor non niſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur.

priùs tamen experiemur, in his propoſitionibus contineri è contrario puram doctrinam hæreticorum, qui verſantur his ultimis ſæculis.

§. II.

Conformitas Propoſitionum damnatarum cum doctrinâ hæreticorum.

Luth. Epiſt. ad ſulp. Nulla datur vera pœnitentia præter illam, *quæ incipit ex amore Juſtitiæ & ex amore Dei*, & hoc eſt principium pœnitentiæ.

Idem in aſſert. de art. aſſert. 4. Charitas imperfecta morientis neceſſariò comitata eſt cum ingenti timore, qui *ex ſeipſo ſufficit, ut mereatur pœnam purgatorij*, & impediat ingreſſum in regna cælorum.

Idem eodem loco aſſert. 6. Contritio, ad quam fit præparatio per diſcuſſionem, per examen & deteſtationem peccatorum, per quam peccator recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, examinando gravitatem, multitudinem, turpitudinem peccatorum ſuorum, amiſſionem vitæ æternæ, & acquiſitionem damnationis æternæ: *hæc contritio efficit hominem hypocritam & magis peccatorem.*

Idem ſerm. de pœnit. Quò magis peccatores facti ſunt timore & dolore ex pæna aut damnatione, *eò graviùs peccant*, eò magis alligantur ſuis peccatis, quæ coguntur derelinquere, quæ tamen nolunt odiſſe.

Kemnit. exam. Conſilij Trid. de contrit. Seſſ. 6. Can. 5. Circa finem. Lutherus cauſam habuit dicendi de attritione

ne, qualem explicant Scholaſtici, quòd ſit aliquid coactum, & quòd non præparet ad gratiam, *ſed quòd hominem efficiat magis hypocritam & magis peccatorem.*

Et infra. Contritio, quæ timet ex conſideratione iræ & judicii Dei, *ſi non proveniat ex amore Dei ipſius*, tametſi ſit comitata cum fide, quæ petit, & credit, peccata eſſe remiſſa propter Chriſtum, non eſt pænitentia ſalutaris, ſed pænitentia Judæ.

Janſ. Tom. 3. *l.* 5. *Cap.* 13. Quamvis oporteat fateri, quòd ſit ipſe Deus, qui in corde hominum operatur timorem pænarum futurarum: nequaquam tamen credendum eſt, *quòd hunc timorem operetur per veram Jeſu Chriſti gratiam*, quam Chriſtus ipſemet ſuâ morte hominibus infirmis promeruit. Gratia quippe Chriſti eſt gratia dilectionis & charitatis, quæ poſtquam intravit cor, inde expellit timorem.

Idem ibidem Cap. 25. Itaque ſanctus Auguſtinus clarè aſſerit, quòd juſtitia, hoc eſt opus juſtitiæ, quod fit *ex timore pænarum legis, non ſit juſtitia Dei, neque nobis donata à Deo*, ſed duntaxat illa juſtitia, quam facimus ex infuſione dulcedinis & charitatis.

Idem ibidem Cap. 27. Poteſt interrogari, utrum quiſpiam poſſit fugere & veraciter deteſtari peccatum ex timore pænæ, ita ut vitando peccatum ex ſenſatione timoris non ſe reddat reum ullius peccati ſive interioris ſive exterioris..... Potior pars Scholaſticorum docet, nos poſſe verè deteſtari & evitare omne peccatum ex ſolo timore pænæ, ita ut intentio evitandi pænas ſit motivum fugæ

Timor *ſimpliciter* ſervilis *judiciorum Dei* non ſibi repræſentat Deum niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.

Catholici Doctores cum S. Thomâ *(a)* trifariàm dividunt timorem, qui nos ad Deum convertit, & à peccato avertit, videlicet in timorem filialem, ſervilem, & initialem, ſeu inchoatum: „ Si quis, inquit S. Doctor, ſeſe „ convertat, Deóque adhæreat ex timore ipſiusmet of- „ fenſæ divinæ; hoc eſt, quia timet diſplicere Deo, quem „ amat ex toto corde, tunc eſt timor filialis; ſi id fiat ex „ timore pænæ à Deo intentatæ, eſt timor ſervilis; ſi ve- „ rò id fiat tum ex timore pænæ, tum ex timore offenſæ „ divinæ, vocatur timor initialis ſeu inchoatus: timor „ filialis eſt ipſa perfecta charitas, in quantum timet di- „ ſplicere Deo: timor ſervilis écontra eſt eſſentialiter „ differens à charitate ſeu timore filiali; quamvis enim „ uterque timor pro ſuo objecto habeat fugam & odium „ peccati attamen tendunt ad hoc objectum per moti- „ va eſſentialiter diverſa. „

Non idem ſentiendum eſt de timore initiali: " hic ti- „ mor, ait S. Thomas, *(b)* " non differt eſſentialiter à ti- „ more filiali; eſt enim ſemper ipſemet verus Dei amor, „ ſecundùm magis & minùs perfectionis, quæ reperitur „ in ŭtroque timore. „ Itaque, teſte Doctore Angelico, timor initialis eſt charitas initialis, ſeu initium charitatis, non quaſi hæc charitas non ſit vera & propriè dicta charitas, ſecùs enim foret eſſentialiter diverſa à charitate perfectiore; ſed quia non habet totam illam perfectio-

(a) 2. 2. q. 19. a. 2.
(b) ibid. art. 8.

Digitized by Google

nem, quæ ſupponitur ineſſe charitati ſeu timori ſimpliciter filiali. Egregiè explanat hanc veritatem P. Nicolai ſuis notis in S. Thomam circa locum ſupra citatum: „ Timor initialis, inquit, eſt initium internum, non verò externum initium ſapientiæ; in exemplo: initium exterius hominis eſt embrio, quippè, quòd necdum ſit homo: initium verò interius hominis eſt infans, quippè quòd in infante ſeu fœtu animato incipiat vera conditio, natura, & eſſentia hominis: „ ſimiliter timor initialis non eſt initium extrinſecum ſed intrinſecum charitatis; quantumvis enim minuta ſit illa charitas, non tamen ex eo perdit rationem veræ charitatis, ſicut infans in utero matris, cujuſcunque minutiſſimæ molis, eſt verus homo: adeóque, quemadmodùm totum eſſentialiter conveniens homini triginta annorum convenit quoque parvulo unius diei, ita quidquid convenit eſſentialiter charitati perfectæ, vel timori ſimpliciter filiali, id etiam convenit charitati incipienti ſive timori initiali: quod idem eſt, ac dicere, per talem timorem ſeu amorem initialem nos diligere Deum ſuper omnia, per illum eiici peccatum ex corde peccatoris, eúmque verè juſtificari. Hæc prænotatio videbatur abſolutè neceſſaria, tam enodandis æquivocationibus, quàm diſſipandis tenebris, quibus Quenellus cum ſuo Apologiſtâ & veritatem ſpoliare, & falſitatem palliare nititur.

Ad hæc, & ulteriùs obſervandum, duas dari ſpecies timoris ſervilis: eſt timor ſerviliter ſervilis, & timor ſimplici-

pliciter ſervilis: timor *ſerviliter* ſervilis eſt ille, ut docet S. Thomas, (a) per quem homo vitat peccatum, principaliter timens pœnam, utpotè contrariam bono proprio, in quo ponit ultimum ſuum finem: timor *ſimpliciter* ſervilis eſt ille, per quem homo vitat peccatum, reverà timendo pœnam, non tamen principaliter, & quaſi ponens ultimum finem in bono proprio: ſic homo cum timore ſerviliter ſervili taliter diſpoſitus eſt, ut peccatum non fugeret, ſi poſſet effugere pœnam, peccati pediſſequam, adeò, ut medullitùs deſideret, Deum aut non velle, aut non poſſe punire peccata, ut impunè peccatori pergere liceret in viâ iniquitatis: Non ita de timore ſimpliciter ſervili cenſeas; verum eſt, hominem cum tali timore minimè moveri ad deteſtandum peccatum ex amore, ſed ex ſolâ conſideratione terribilium judiciorum Dei, gehennam minitantium: nec tamen ita deteſtatur peccatum, ut optaret illud committere, ſi poſſet aliâ viâ, quàm per fugam peccati, declinare indignationem & vindictam divinam.

Igitur eſſentialis differentia intercedens inter utrumque hunc timorem conſiſtit in eo, quòd primus, nimirum *ſerviliter* ſervilis, nihil immutet in homine niſi quoddam exterius, relinquens peccatorem, quoad animæ interiora, in affectu ſemper ardentiore ad peccatum: cùm ècontra alter timor veraciter immutet voluntatem humanam, eam inclinando ad amorem illius, quod anteà odiverat, & incipiendo odium eorum, quæ priùs amaverat; juxta illud: *Adora, quod incendiſti, incende, quod ado-*

(a) ibidem art. 6. in corp.

raſti. Per primum timorem peccator averſatur pænam peccati non ipſum peccatum; per ſecundum verò horret utrumque,& peccatum & pænam tanquam peccati pediſſequam : prior ille timor eſt improbus & pernitioſus, ad nihil deſerviens, niſi ut reddat peccatum magis nefarium ; poſterior autem eſt bonus, laudabilis & utilis, atque in quodam ſenſu initium exterius Sapientiæ.

Hujus ſunt labii unanimiter omnes Orthodoxi Theologi: Janſeniani êcontra novis loquuntur linguis; diſtinctionem timoris in ſerviliter & ſimpliciter ſervilem intelligere nolunt; chimericam appellant, quæ nullam habeat exiſtentiam, niſi in imaginatione læsâ quorundam recentium Scholaſticorum ; innixi ſuo plauſibili principio, quòd,quidquid non eſt vera & ſincera charitas, non ſit, nec eſſe poſſit niſi amor ſuiipſius inordinatus ac vitioſa cupiditas; nullum agnoſcunt timorem verè bonum, utilem & laudabilem præter illum, quem ſtipat verus Dei amor, id eſt, timorem initialem : omnis alius timor, inquiunt, eſt tam pernitioſus quàm vitioſus.

Sic fatur Quenellus in octo ſupra ſignatis propoſitionibus : neque enim dici poteſt, Quenellum his propoſitionibus agere duntaxat de timore ſerviliter ſervili, cùm certum ſit, hunc terminum *timor* in ſeipſo ſumptum nihil aliud ſignificare, quàm juxta communem uſum loquendi ſimplicem timorem judiciorum Dei; ſin minùs adiiciatur aliquod explicativum, rem aliter intelligendam eſſe : quòd ſi dubium remaneat de mente Quenelli, ipſemet Apologiſta id tollet, nos plenè convincens,

quid Quenellus ſuo termino *timoris* intenderit. „ Duo „ ſunt diſtinguenda , inquit , *(a)* in timore ; utili- „ tas timoris in ſeipſo , & ejuſdem inſufficientiâ : „ ex duobus his punctis Quenellus in ſuis propoſitio- „ nibus damnatis ita firmat ſecundum , ut tamen non „ diſſolidet primum. Tenet cum Eccleſiæ Patribus, quòd „ timor omninò ſolus abſque charitate nequeat ex corde „ tollere colligationem cum peccato ; nec tamen negat „ timori ſuas utilitates, neque negat, timorem eſſe diſpo- „ ſitionem & ſemitam ad amorem : „ patet igitur ex calamo Hexapliſtæ , Quenellum in ſuis propoſitionibus non loqui de timore ſerviliter ſervili, qui omnibus Theologis eſt timor nefarius & pernitioſus, ſed loqui de timore ſimpliciter ſervili, qui ſolus poteſt eſſe *diſpoſitio & ſemita ad amorem.*

Verùm enimverò quis crediderit, Quenellum admittere, quòd timor ſimpliciter ſervilis habeat ſuas utilitates , ſitque diſpoſitio & ſemita ad amorem ? annon totum contrarium exprimit & quidem terminis adeò planis & urgentibus, ut ab ipsâ hæreſi nihil clariùs exſpectaveris : in quo enim ſubſiſtit character timoris, de quo Quenellus ? eſt timor ducens *ad deſperationem* ; eſt timor relinquens cor *addictum peccato* ; timor, ex quo peccatum committitur *in corde*, cùm ab eo abſtinetur forinſecùs ; eſt timor, baptizatum *rapiens è ſinu Eccleſiæ* , eúmque ponens *ſub maledicto legis* ; eſt timor, quo peccatur *etiam evitando peccatum* ; timor , qui non efficit *niſi mancipia & victimas* divinæ juſtitiæ ; timor, quo comparatur homo

(a) pag 79. col, 5.

Digitized by Google

beſtijs ac jumentis inſipientibus; timor denique, qui repræſentat ſibi Deum *ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem*: éſtne hujuſmodi timor habens ſuas utilitates? éſtne diſpoſitio & ſemita ad amorem divinum? nónne ſpiritu vertiginis circumaguntur tam inſulſam extravagantiam defenſantes in facie Eccleſiæ? Quenellus, ait inſuper Hexapliſta, (*a*) pluribus locis fatetur commoda & utilitates, imò neceſſitatem timoris: at vertiginoſus homo non advertit, quàm ineptè juſtificetur Author aliquis ex locis quibuſdam ambiguis & æquivocis, poſtquam hæreſim ſuam velut ad haſtam vendidit patentiſſimis terminis & clamoribus: ubinam opus illud tam clamorosè nefarium, quod nequeat ſimilibus effugiis ſalvari à cenſuris Eccleſiæ? num librum invenias ita ex toto hæreticum, ut nullis intervallis Catholiciſmum adumbret? jam deſuper quædam in exemplum protulimus; accipe magis notabile, neutiquam omittendum; quod exemplum procedit de Kemnitio: hic hæreticus, poſtquam conatus eſſet per vacuas ambages temperare blaſphemiam Lutheri circa timorem ſervilem, nequicquam deſiſtit cum Magiſtro ſuo decidere, ejúſque ſententiam roborare dicendo, quòd timor ſine amore ſalutaris non ſit, imò quòd pœnitentia ex timore ſit pœnitentia Judæ deſperati proditoris, prout videre eſt in paragrapho ſequente. En quomodò loquatur hic hæreticus ad præſens propoſitum. (*b*)

„ Non docemus, quòd pœnitentia ſit ſine contritione:
„ jam ad contritionem neceſſe eſt. 1. Ut intellectus pec-
„ catoris comprehendat, cognoſcat, & attentè conſideret

(*a*) Ibidem.

(*b*) Kemn. Exam. Conc. Trid. de contr. Seſſ. 14. Can. 5.

Quis loquatur magis Catholicè? nónne putâſſes, te audire homiliam elegantiſſimam Patris Eccleſiæ? Si Author Hexaplarum reperiiſſet in Quenello cliente ſuò ſimilem contextum, Superi! quantâ animoſitate inſultaret Cenſoribus Romanis, ipſi ſummo Pontifici? cùm arbitretur Quenellum à ſe juſtificatum uſque ad innocentiam originalem ex quibuſdam ejus textibus captioſis & æquivocis, qui tamen plùs ejus damnationi quàm juſtificationi ſuffragantur: Profectò timor ille, quem Quenellus in locis ab Apologiſta citatis dicit eſſe inutilem, non eſt timor ſervilis, ſed *initialis*, utpotè ſemper ſtipatus verâ Dei charitate. Verum eſt, inquit Quenellus, (a) quòd in hoc ſtatu timoris initialis *timor judiciorum Dei augeatur, ac primò dominetur in peccatore illuſtrato & tacto à Deo*: ſed quantumcunque hic timor ſit primitùs dominans, nunquam tamen juxta ipſum excludit charitatem ſinceram, caſtam, gratuitam, veram & propriè dictam, ſine quâ timor ille ſecundùm Apologiſtam tam eſt peccaminoſus quàm pernitioſus.

Hic eſt verus ſenſus propoſitionum Quenelli; ſenſus Orthodoxus, addit ejus Apologiſta, qui ſinceriùs loquitur in columnâ quartâ quàm in quintâ: Hæ enim propoſitiones, inquit, ſi intelligantur de timore ſuppliciorum, quibus Deus minatur peccatoribus, nihil aliud complectuntur niſi puram doctrinam Patrum ac veterum Pontificum, innumeris vicibus repetitam in eorum ſcriptis; ſed brevì de hoc conſtituetur mendax Apologiſta:

(a) in act. 9. 5. & 6.

prius tamen experiemur, in his propoſitionibus contineri è contrario puram doctrinam hæreticorum, qui verſantur his ultimis ſæculis.

§. II.

Conformitas Propoſitionum damnatarum cum doctrinâ hæreticorum.

Luth. Epiſt. ad ſulp. Nulla datur vera pœnitentia præter illam, *quæ incipit ex amore Juſtitiæ & ex amore Dei*, & hoc eſt principium pœnitentiæ.

Idem in aſſert. de art. aſſert. 4. Charitas imperfecta morientis neceſſariò comitata eſt cum ingenti timore, qui *ex ſeipſo ſufficit, ut mereatur pœnam purgatorij*, & impediat ingreſſum in regna cælorum.

Idem eodem loco aſſert. 6. Contritio, ad quam fit præparatio per diſcuſſionem, per examen & deteſtationem peccatorum, per quam peccator recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, examinando gravitatem, multitudinem, turpitudinem peccatorum ſuorum, amiſſionem vitæ æternæ, & acquiſitionem damnationis æternæ: *hæc contritio efficit hominem hypocritam & magis peccatorem.*

Idem ſerm. de pœnit. Quò magis peccatores tacti ſunt timore & dolore ex pœna aut damnatione, *eò gravius peccant*, eò magis alligantur ſuis peccatis, quæ coguntur derelinquere, quæ tamen nolunt odiſſe.

Kemnit. exam. Conſilij Trid. de contrit. Seſſ. 6. Can. 5. Circa finem. Lutherus cauſam habuit dicendi de attritione

ne, qualem explicant Scholaſtici, quòd ſit aliquid coactum, & quòd non præparet ad gratiam, *ſed quòd hominem efficiat magis hypocritam & magis peccatorem.*

Et infra. Contritio, quæ timet ex conſideratione iræ & judicii Dei, *ſi non proveniat ex amore Dei ipſius*, tametſi ſit comitata cum fide, quæ petit, & credit, peccata eſſe remiſſa propter Chriſtum, non eſt pænitentia ſalutaris, ſed pænitentia Judæ.

Janſ. Tom. 3. *l.* 5. *Cap.* 13. Quamvis oporteat fateri, quòd ſit ipſe Deus, qui in corde hominum operatur timorem pænarum futurarum: nequaquam tamen credendum eſt, *quòd hunc timorem operetur per veram Jeſu Chriſti gratiam*, quam Chriſtus ipſemet ſuâ morte hominibus infirmis promeruit. Gratia quippe Chriſti eſt gratia dilectionis & charitatis, quæ poſtquam intravit cor, inde expellit timorem.

Idem ibidem Cap. 25. Itaque ſanctus Auguſtinus clarè aſſerit, quòd juſtitia, hoc eſt opus juſtitiæ, quod fit *ex timore pænarum legis, non ſit juſtitia Dei, neque nobis donata à Deo*, ſed duntaxat illa juſtitia, quam facimus ex infuſione dulcedinis & charitatis.

Idem ibidem Cap. 27. Poteſt interrogari, utrum quiſpiam poſſit fugere & veraciter deteſtari peccatum ex timore pænæ, ita ut vitando peccatum ex ſenſatione timoris non ſe reddat reum ullius peccati ſive interioris ſive exterioris...... Potior pars Scholaſticorum docet, nos poſſe verè deteſtari & evitare omne peccatum ex ſolo timore pænæ, ita ut intentio evitandi pænas ſit motivum fugæ

§. III.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitionibus damnatis oppoſita.

Ex Ratione.

PLuribus convicti rationibus fatemur, timorem ex ſe bonum eſſe; ſatis tamen ac ſuperfluum erit, hîc unicam adduxiſſe rationem S. Thomæ, quâ vix præſtantiôr aut validior altera.

„ Nullum malum (ſic ratiocinatur S. Doctor) (*a*) ve-„nire poteſt à Spiritu Sancto: atqui timor ſervilis venit à „ Spiritu Sancto: nam juxta Apoſtolum (*b*) *non accepiſtis* „ *Spiritum ſervitutis iterum in timore*; in quæ verba notat „ gloſſa: Item Spiritus eſt, qui producit duos hoſce timo-„ res, nimirum timorem ſervilem, & timorem caſtum; „ ergò timor ſervilis non eſt malus; ergò qui agit ex im-„ pulſu hujus timoris non peccat, cùm ſit blaſphemia, di-„ cere, Spiritum Sanctum nos ducere ad peccatum. „ Ita ſonat argumentum Angelici. Quis deinceps non miretur temeritatem Authoris Hexaplarum, præſumentis citare in favorem Quenelli S. Doctorem tam apertè repugnantem phantaſmatibus ejus?

Ex Scripturâ.

Exod. c. 20. *v.* 20. Ut enim probaret vos, venit Deus, *& ut terror illius eſſet in vobis*, & non peccaretis.

Pſalm. 118. *v.* 120. Confige *timore tuo* carnes meas, à judiciis enim tuis timui.

[*a*] 1.2. q. 19. art. 4. c.

(*b*) ad Rom. 5.

Prov. c. 8. v. 23. Timor Domini *odit malum.*

Prov. c. 14. v. 27. Timor Domini *fons vitæ*, ut declinent à ruina mortis.

Eccleſiaſt. c. 1. v. 25. Radix Sapientiæ eſt timere Dominum .... *Timor Domini expellit peccatum*: nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.

Iſa. 26. 17. à Facie tua Domine *concepimus*, & quaſi parturivimus Spiritum ſalutis.

Malach. c. 1. v. 6. Si ergò Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, *ubi eſt timor meus?*

Lucæ c. 12. v. 5. Oſtendam autem vobis, *quem timeatis: timete eum*, qui poſtquàm occiderit, *habet poteſtatem mittere in gehennam*; ita dico vobis, *hunc timete.*

Apoc. c. 14. v. 7. Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus.

Ex Patribus.

Conc. Trid. Seſſ. 6. Can. 5. Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, amiſſionem *æternæ beatitudinis*, & æternæ damnationis *incurſum* .... non eſſe *verum & utilem dolorem*, nec præparare ad gratiam: Anathema ſit.

Ibid. can. 8. Si quis dixerit, *gehennæ metum*, per quem ad Dei miſericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere: Anathema ſit.

Ibid.

Ibid. c. 6. Peccatores à divinæ juſtitiæ timore *utiliter concutiuntur.*

Id. Seſſ. 14. *c.* 4. Attritio .... quæ & *gehennæ & pœnarum metu* communiter concipitur, ſi *voluntatem peccandi excludat.* *Reſ.* Igitur poſſibile eſt, quòd iſte timor excludat voluntatem peccandi, ita ut nos conducat ad deteſtationem peccati.

Id. infrà. *Hoc timore utiliter concuſſi* Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrârunt.

Clem. Alex. l. 2. *Strom.* At prima quidem ad ſalutem inclinatio nobis fides apparet, *poſt quam timor*, ſpes & pænitentia, cum continentiâ & tolerantiâ *proficiente ad charitatem.*

Id. infrà. *Qui timorem accuſant, legem inſectantur*: quòd ſi legem, clarum eſt, quòd illum quoque, qui legem dedit.

Id. ibid. In timore Domini eſt, inquit, ſpes fortitudinis: *Deducit ergò talis metus ad pœnitentiam, & ad ſpem*: ſpes autem eſt expectatio bonorum. *Reſ.* Ergò falſum eſt, quòd timor ducat in deſperationem.

Greg. Nazian. orat. 21. Nam & timor Domini principium eſt ſapientiæ, velut primum quoddam incunabulum. Et ſapientia, *cùm timorem excesſerit*, atque ad Dei amorem nos *ſubvexerit*, ex ſervis jam amicos & filios efficit.

Baſil. in pſalm. 33. *Divites eguerunt.* Timor *ſalutaris eſt*, *qui Sanctitatis operarius.* Vis enarrem, qualis ſit? Si quando te ſenſeris ad unum aliquod cieri, ac proſilire peccatum; ad mentem revoca formidabile illud, nec

ulli mortalium tolerabile Chriſti judicium. . . . *hac time, & hoc timore eruditus*, animam à concupiſcentiâ ad hæc mala, velut fræno quodam, relide.

Id. in pſalm. 32. *Neceſſariò velut introductorius ad pietatem timor aſſumitur: Dilectio verò deinceps ſuccedens* à timore ſcientifico adoptatos perficit.

Ambr. in pſalm. 118. *v.* 120. *Configat has carnes timor Domini, & judiciorum ejus, & ſervituti redigat.* Quòd ſi carnes iſtæ reiiciunt clavos divini timoris; haud dubiè dicitur: non permanebit Spiritus meus in his hominibus, quia carnes ſunt.... Sicut ſunt aculei timoris, quibus compungimur, ita ſunt clavi timoris, quibus configimur. Qui compungitur, excitatur: qui configitur, mortificatur, ut peccato deficiat, & Deo vivat.

Id. ibid. Tollamus ergò crucem Domini, quæ configat carnes noſtras, peccatum deſtruat. Eſt timor, qui configit carnes; Niſi, inquit, quis tulerit crucem ſuam, & ſecutus me fuerit, non eſt me dignus. Ille enim dignus eſt, *qui habet Chriſti timorem, ut crucifigat omne carnale peccatum. Hunc timorem ſequitur charitas*, quæ conſepulta cum Chriſto, non divellatur à Chriſto, moriatur in Chriſto, reſurgat cum Chriſto.

Id. ad Virg. lapſ. c. 8. Pœnitentia ſic agitur; ſi tibi ante oculos ponas, de quantâ gloriâ rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum ſit; & *ſi te jam credas propè ipſas poſitum tenebras exteriores.*

Chriſoſt. hom. 15. *ad pop. Ant.* Quid gehennâ graviùs? *ſed hujus metu nihil utiliùs*: Gehennæ namque timor regni

nobis

Digitized by Google

nobis affert còronam.... *Nihil enim tantum peccata conſumit; virtutem verò creſcere facit & germinare, quantum continui timoris natura.* Propterea qui non vivit in timore, rectè illum agere non eſt facile; ſicut viciſſim cum timore viventem eſt impoſſibile peccare.... *Niſi bonus eſſet timor, non multos impendiſſet Chriſtus ſermones & longos, de illâ pœnâ* & ſupplicio loquens.

Id. in Pſalm. 110. *Timor Domini ab omni vitio liberat, omnem virtutem dirigit.* Dicit autem Pſalmiſta, ſapientiam, non quæ in verbis, ſed quæ in rebus ſita eſt.... Hanc autem docet Dei timor, improbitatem auferens, & virtutem inſerens, ut præſentia contemnantur, efficiens, & in cælum traducens.

Hier. in cap. 1. *Mal.* Vult itaque primò Deus, ut filii ejus ſimus, & bonum voluntate faciamus: Si hoc conſequi nolumus, aut ſaltem nos ſervos ſuos habeat, *& à malis per ſuppliciorum formidinem recedamus.*

Id. in cap. 2. *Mich.* Qui pudore & verecundiâ non terrentur, agant pœnitentiam ſaltem *comminitatione pœnarum.*

Aug. ſerm. 214. *de temp.* Cùm *timetur pœna, quam Deus minatur, diſcitur amari præmium, quod pollicetur:* ac ſic *per timorem pœnæ bona vita retinetur.* Per bonam vitam bona conſcientia comparatur, ut per bonam conſcientiam nulla pœna timeatur. Quapropter *diſcat timere*, qui non vult timere: Diſcat ad tempus eſſe ſollicitus, qui ſemper vult eſſe ſecurus.

Id. in pſalm. 127. Ubi vermis eorum non moritur. Audiunt hoc homines, & quia verè futura ſunt impiis, *timent*

& continent ſe à peccato : timent quidem, ſed *non amant juſtitiam.* Cùm autem *per rem continent ſe à peccato, fit conſuetudo juſtitiæ*, & incipit, quod durum erat, amari, & dulceſcit Deus, & jam *incipit homo juſtè vivere.*

Id. de Catech. Rud. c. 5. *Ipsâ etiam ſeveritate*, quâ corda mortalium *ſaluberrimo terrore* quatiuntur, charitas ædificanda eſt.

Id. de verb. Apoſt. ſerm. 13. Timor ſervus eſt, charitas libera eſt: & ut ſic dicamus, timor eſt ſervus charitatis. Ne poſſideat Diabolus cor tuum, *præcedat ſervus in corde tuo*, & ſervet Dominæ venturæ locum. *Fac vel timore pœnæ*, ſi non potes amore juſtitiæ.

Id. Con. adverſ. leg. & Proph l. 1. *c.* 16. *Salubriter* non ſolùm bonitatem, verùm etiam ſeveritatem ſacra Scriptura comendat: Quoniam & amatur Deus *utiliter, & timetur.*

Id. tract. 9. *in ep. Joan.* Initium ſapientiæ timor Domini. *Timor quaſi præparat locum charitati....* Si nullus timor, non eſt, quà intret charitas.

Id. in pſalm. 127. Ille timor nondum caſtus præſentiam Domini & pœnas timet: *Timore facit, quidquid boni facit*, non timore amittendi bonum illud, ſed *timore patiendi illud malum.* Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponſi, ſed timet, *ne mittatur in gehennam*: *bonus eſt & iſte timor, utilis eſt.*

Id. de grat. & lib. arbit. c. 18. Cavere debemus, ne nos arbitremur non accepiſſe Spiritum timoris Dei, *quod ſine dubio magnum eſt donum Dei....* Non quo timore Petrus Chriſtum negavit; ſed illius timoris Spiritum accepimus, de quo dicit ipſe Dominus Chriſtus: *Eum timete, qui habet poteſtatem*, animam & corpus perdere in gehennam.

Id. tract. 9. *in Ep. Joan.* Opus eſt ergò, ut intret timor

primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas ſanitas.

Ibid. inferiùs. Si nullus eſt timor, non eſt, quà intret charitas. Sicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur. Seta priùs intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet; quia ideò intravit, *ut introduceret charitatem*..... Stimulat timor, noli timere: intrat charitas, quæ ſanat, quod vulnerat timor.

De vocat gent. l. 2. *c.* 19. Hunc autem conſenſum non ſolùm cohortatio prædicantium & incitamenta doctrinæ, ſed & *metus gignit*: propter quod ſcriptum eſt: *Principium Sapientiæ timor Domini.* Qui quantiſque terroribus inferatur, non aliud agit, quàm ut *quem fecerit timentem, faciat & volentem*; non ſolùm volentem, *ſed etiam ſapientem.* Unde & illud ſcriptum eſt: *Beatus, cui donatum eſt habere timorem Dei.* Quid enim tam beatificum, qui genitor, eruditórque Sapientiæ eſt.... Cùm ergò hic timor, etiam per quandam vim magni terroris immittitur, *non ibi ratio extinguitur*, nec intellectus aufertur; ſed illa potiùs, quæ mentem premebat, caligo diſcutitur; ut voluntas depravata, priùs atque captiva, *recta efficiatur & libera.*

Greg. Mag. l. 1. *Mor. c.* 26. Sancta electorum Eccleſia ſimplicitatis ſuæ, & rectitudinis vias *timore* inchoat, ſed charitate conſummat.

Id. l. 22. *Mor. c.* 20. Appoſitis quaſi quibuſdam gradibus profectûs noſtri, mentis pedem priùs *per timorem* in imo ponimus, & poſtmodùm per charitatem ad alta amoris levamus; ut ab eo, quo quiſquam tumet, reprimatur, ut timeat: & ab eo, quod jam metuit, ſublevetur, & præſumat.

Ibid. l. 7. *c.* 24. Divina dilectio *per timorem naſcitur*; ſed in affectum creſcendo permutatur.

Id Dial. l. 3. *c.* 34. Deum ſentiens anima priùs timore

compungitur, *poſteà amore*.... Sicque fit, ut perfecta compunctio formidinis trahat animum compunctione dilectionis.

Id. hom. 34. *in Evang.* Prava mens, ſi non priùs *per timorem* evertitur, ab aſſuetis vitiis non emendatur,

Bern. tract. de praced. & diſpen. Bonus quidem obedientiæ gradus eſt, ſi juxta Magiſtri noſtri ſententiam *propter metum gehennæ quiſquam obedierit:* Melior tamen, cùm ex Dei timore obeditur.

Id. tract. de char. c. 6. Exigit Deus *timeri ut Dominus*, honorari ut Pater, & ut Sponſus amari.

Id. de ſtat. virt. part. 3. Eſt & alius timor, reſpectum habens in Deum, quandò videlicet *ipſum Dominum timemus propter potentiam ejus*, quia poteſt animam & corpus mittere in gehennam. *Hunc autem Dominus juſſit habere*, dicens: Nolite timere eos, qui occidunt corpus.... Sed timete eum, qui &c. In hoc autem timore *aliquantulùm vis charitatis eſt*, in hoc, quòd ad Dominum reſpicit, *& donum Dei eſt*: ſed quia ex ejus potentiâ habetur, pœnam habet, & *ſervilis dicitur*: & quòd in initio ſuo *bonus*; ſed non perfectus nec ad ſalutem ſufficiens: verumtamen per excreſcentes gradus melioratus, & *adeò hominem corrigit, ut nec actu nec voluntate peccare libeat*, etiamſi peccatis obligetur invincibilibus.

Id. ſerm. 2. *Domin.* 1. *poſt Oct. Epiphan.* Triplex eſt timor. Primus *timor eſt, ne crucientur* in gehennâ: Secundus, ne excluſi à viſione Dei privemur tam inæſtimabili gloriâ: Tertius replet animam omni ſollicitudine timidam

dam, ne fortè deſeratur à gratiâ. *Et quidem omnis timor Domini*, ſicut aqua extinguit ignem, *ſic extinguit peccati concupiſcentiam.*

Id. ad Soror. de mod. benè viven. c. 1. Secundus timor *eſt ſervilis*, ut ait B. Auguſt., cùm *timore gehennæ* homo recedit à peccato; & omnia bona, quæ facit, non propter Dei, ſed propter timorem inferni facit.:.. *Bonus eſt iſte timor ſervilis, & utilis, licèt inſufficiens*, & imperfectus, per quem creſcet paulatim conſuetudo juſtitiæ.

D. Thom. 3. *part. q.* 85. *a.* 5. Alio modo poſſumus loqui de pœnitentiâ quantùm ad actus, quibus Deo operanti in pænitentiâ cooperamur: quorum actuum principium eſt Dei operatio, convertentis cor.... Secundus actus eſt motus fidei: Tertius *eſt motus timoris ſervilis*, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur.... Sic igitur patet, quòd *actus pœnitentiæ à timore ſervili procedit*, ſicut à primo motu affectûs ad hoc ordinato: à timore autem filiali, ſicut ab immediato, & proximo principio.

Ibid. ad 1. Dicendum, quòd peccatum primò *incipit* diſplicere *propter ſupplicia*, quæ reſpicit *timor ſervilis.*

Ibid. ad. 3. Dicendum, quòd ipſe etiam motus timoris procedit ex actu Dei, convertentis cor.... Et ideò per hoc, quòd pœnitentia à *timore procedit*, non excluditur, quin procedat ex actu Dei, convertentis cor.

D. Bonav. in opuſc. de grat. Sanctif. l. 5. *c.* 4. Timor ſervilis donum Spiritûs Sancti eſt; nec tamen eſt cum Spiritu Sancto: ſicut Aurora à ſole nec tamen cum ſole eſt. *Timor*

ſervilis Spiritui Sancto locum præparat; ut eum, ſicut ſeta linum, introducat.

Ibid. infra. Timor ſervilis duo facit: Primum eſt, quòd *viam præparat charitati*: ſecundum, quòd *retrahit à peccato metu pœnæ tantùm.*

Id. l. 3. d. 34 p. 2. a. 1. q. 1. Dicendum, quòd *abſque dubio timor ſervilis eſt donum Spiritûs Sancti*: & ratio hujus eſt, quia ſicut donum Dei eſt, nôſſe, ſive credere pœnas futuras, pro eo, quòd ibi eſt quædam cordis illuminatio & directio, *ſic donum Dei eſt, pœnas illas æternas refugere*, timere, pro eo, quòd ex tali dono eſt quædam cordis emollitio, & *fluxûs concupiſcentialis reſtrictio, & in hoc quædam rectificatio.*

Ibid. q. 2. c. Sicut aliquis, qui timet pœnas, & timendo dolet, quòd tales pœnæ infligantur pro culpâ, & actu etiam concupiſcit peccare, ſi non eſſet illa pœna: Et hoc modo timere ſerviliter, eſt peccatum & malum: *hæc autem non eſt ſemper*, cùm quis movetur *timore.* Alioquin per uſum illius doni magis ſe homo à gratia elongaret, quàm præpararet, *quod planè falſum eſt.*

Ibid. Concedendum eſt, quòd uſus *timoris ſervilis poteſt eſſe bonus*; licèt non ſit bonus bonitate meriti ſed magis bonitate *præparante, vel ordinante ad meritum*, quæ ſimul ſtat cum peccato.

Id. in pſalm. 110. Initium ſapientiæ timor Domini. *Servilis timor initium eſt extrinſecum, vel extra ſumptum.* Nam timor ſervilis eſt initium Sapientiæ: id eſt, ad ſapientiam, non de ſapientiâ.

De imit. Chr. l. 1. c. 24. Bonum tamen eſt, ut ſi necdum amor à malo te revocat, *ſaltem timor gehennalis coërceat.*

Qui verò timorem Dei poſtponit, diu ſtare in bono non valebit, ſed diaboli laqueos citiùs incurret.

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* S. Auguſtinus dicit, quod ſit formidine pænæ, & non dilectione juſtitiæ, nullo modo ex corde fit; atqui bonum, quod non fit ex corde, fit ex coactione, & contra voluntatem agentis, & per conſequens bonum illud non eſt bonum, ſed malum & vitioſum ex malignâ affectione, quæ ad malum perpetuò conſervatur.

Reſp. Ad hos & ſimiles textus ex S. Auguſtino detractos jam reſpondit D. Thomas, dicens; *(a)* quòd S. Auguſtinus in illis locis tractet de timore ſervili, formaliter excludente dilectionem juſtitiæ, & per quem homo renuit ſuam affectionem ſubiicere jugo juſtitiæ: *in quantum ſcilicet homo non vult affectum ſuum ſubmittere jugo juſtitiæ per amorem*, inquit S. Doctor. Jam etiamſi in timore ſimpliciter ſervili homo non faciat bonum niſi ex timore pœnæ; nihilominùs hujuſmodi timor non excludit amorem juſtitiæ, neque neceſſariò pro comite habet voluntatem non ſe ſubmittendi jugo juſtitiæ per amorem. *Servilitas* enim, ait S. Thomas, non eſt eſſentialis huic timori: prout etiam *informitas*, id eſt, excluſio charitatis, non eſt eſſentialis fidei informi: imò poteſt è contrariò affirmari, quòd timor ſimpliciter ſervilis non tantùm non excludat amorem juſtitiæ, ſed eum potiùs includat, in quantum ſcilicet cauſando fugam & deteſtationem omnium peccatorum nos manuducit ad amorem

(a) 2 2. q. 19. a. 4. ad 12.

Pa

eorum, quæ peccatis contraveniunt, atque efficit, ut deinceps nos reſolvamus ad ſervanda Dei mandata, & ut per conſequens ſubmittamus noſtras affectiones jugo juſtitiæ per amorem.

2. *Object.* S. Auguſtinus cum pluribus aliis Eccleſiæ Patribus docet præterea, quòd timor pœnæ nec convertat, nec immutet corda hominum; quòd cum tali timore peccator pergat in ſuâ nequitiâ, ac idem remaneat nefarius: ergò talis timor bonus non eſt, quòd hominem non reddat meliorem.

Reſp. Verum eſt in uno, & falſum in alio ſenſu, quòd timor pænæ non convertat, nec immutet cor hominis; & quòd peccator remaneat cum tali timore idem nefarius: ex timore pænæ convertitur homo, cùm vult placare minacem Dei iracundiam; immutatur etiam cor hominis, cùm loco prioris propenſionis ad peccatum, incipiat illud evitare, odiſſe, deteſtari. Unde ſequitur, peccatorem ex timore fieri multò minùs nefarium, quàm priùs fuerat: Verum tamen eſt, eum necdum perfectè converſum, & mutatum eſſe, eum adhuc nequam & perverſum remanere, quia habitualis macula ſcelerum etiamdum inhæret animæ viſceribus, ita ut ſi morte decederet in hoc ſtatu, non ſalvaretur, eò quòd nulla ſalus ex timore ſine charitate.

Non diutiùs ad alios textus ab Hexapliſtâ citatos reſpondendo morabimur: ex ipſis jam refutatis luculenter patet, SS. Patres loqui duntaxat de timore ſerviliter ſervili, amorem juſtitiæ formaliter excludente; non autem de timore ſimpliciter ſervili, qui licèt formaliter & actu

hunc amorem non habeat comitem, eum tamen non excludit: Ecce ingentem differentiam inter utrumque ſæpefatum timorem: differentia ſolerter & impensè notanda, quippè quâ ſolvuntur difficillima Patrum loca, atque ad invicem reconciliantur.

§. V.

Qualificatio propoſitionum damnatarum.

Cùm hæ propoſitiones mereantur diverſas qualificationes, unam poſt alteram debitis ſui titulis condecorabimus.

Propoſitio LX. *Si ſolus ſupplicij timor animat pœnitentiam, quò hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem*; hæc propoſitio *eſt hæretica, & jam damnata*; reſuſcitat enim terminis clariſſimis hæreſin Lutheri damnatam in Concilio Tridentino Seſſ. 14. Can. 5. ubi fulminatur Anathema contra dicentem, quòd contritio ex timore gehennæ elicita non ſit dolor verus & utilis, & quòd reddat hominem magis peccatorem.

Propoſitio LXI. *Timor non niſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur; quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur*; hæc præpoſitio eſt ad minimum *proxima hæreſi*, videtur enim habere connexionem eſſentialem cum præcedente: nam Timor relinquens cor hominis *æqualiter* addictum peccato, nec bonus nec utilis eſſe poteſt.

Propoſitio LXII. *Qui à malo non abſtinet niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo*; hæc propoſitio eſt *formaliter hæretica*; quia contradictoriè opponitur Canoni Concilii Tridentini mox citato, quo defini-

finitur, dari contritionem ex timore gehennæ cum propoſito melioris vitæ veram & utilem.

Propoſitio LXIII. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore*; hæc propoſitio eſt *malè ſonans*. Quid enim tam exoticum & exoſum, quid tam inuſitatum & inauditum inter Orthodoxos Theologos, quàm defendere, Chriſtianum eſſe ſub lege, ſicut Judæus, ac Judæum fieri, ſi legem adimpleat ex ſolo timore?

Propoſitio LXIV. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando*; hæc propoſitio eſt *evidenter hæretica*, cùm clarè affirmet, peccatum committi etiam evitando peccatum ob timorem.

Propoſitio LXV. *Moyſes eſt Propheta, Sacerdotes & Doctores legis mortui ſunt abſque eo, quòd ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint niſi mancipia per timorem*; hæc propoſitio eſt *falſa, erronea*, & *ſuſpecta de hæreſi*. Eſt *falſa & erronea*, conſtat enim notorietate facti ex Scripturis, quòd ultra Prophetas & Doctores legis multi fuerint juſti in antiquo teſtamento, & per conſequens filii Dei. Eſt *ſuſpecta de hæreſi*, cùm per terminum *mancipia* videatur hoc loco intimari, quòd timor pœnæ non efficiat niſi peccatores, nec hominem reddat meliorem.

Propoſitio LXVI. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem ſicuti beſtia; ſed per fidem & per amorem ſicuti filii*; hæc propoſitio eſt *falſa & proxima hæreſi*. Eſt *falſa*, quòd dicat, nos operari inſtar beſtiarum, cùm ope-

operamur ex timore : Nihil enim rationabilius, quàm timere divina judicia. Eſt *proxima hæreſi* Lutheri aſſerentis, præçipuè contritionem ex timore excitatam nec liberam nec voluntariam eſſe; quod eſt damnatum ſub Anathemate à Concilio Tridentino Seſſ. 14 Can. 5. Etenim evidens eſt, quòd agens inſtar beſtiæ nec agat liberè nec voluntariè, ſed coactè ſolummodò.

Propoſitio LXVII. *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem* : hæc propoſitio eſt *falſa, impia, & blaſphema.* Eſt *falſa*, quòd manifeſtè verum ſit, peccatorem non expaveſcere ad Dei judicia, niſi quia convictus eſt in conſcientiâ, quòd juſtiſſimè meruerit omnem divinæ juſtitiæ rigorem. Eſt *impia*, detrahit enim cultui Deo debito, quem timor ſervilis ſuo modo augere conſuevit; quippe indubitatum eſt, nos honorare Deum, quandò trepidamus ad ejus juſtitiam & potentiam. Eſt *blaſphema.* Cùm ſit injurioſum Deo, ſi dicas, timorem, utpote impulſum Spiritûs Sancti, repræſentare Deum tanquàm Dominum injuſtum, intractabilem.

§ VI.

Alij Errores his propoſitionibus contenti.

1. SI ſolus timor *ducat ad deſperationem*, ſequitur manifeſtè, quòd timor charitate vacuus excludat ſpem. Quod dicere eſt error primæ magnitudinis, error urgentiſſimâ ſequelâ fluens ex principio & propoſitione Quenelli dicentis : *Non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.* (a)

(a) Propoſ. LVII.

2. *Si baptizatus ſit adhuc ſub lege ſicut Judæus*, quando legem non adimplet, vel adimplet ex ſolo timore, ſequitur innegabiliter, quòd peccator non agens ex charitate, vel Deum lethaliter offendens non ſit Chriſtianus, nec de corpore Eccleſiæ: error, quem brevì impugnabimus in Analyſi propoſitionum Eccleſiam concernentium.

3. Si verum ſit, *ſub maledicto legis nunquam fieri bonum*, ſequitur neceſſariò, mandata Dei ſub lege Moſaica fuiſſe impoſſibilia, ac Judæos ad peccandum fuiſſe neceſſitatos: quod eſt formaliter hæreticum.

4. *Si non debeamus appropinquare Deo per inſtinctum naturalem, aut per timorem ſicuti beſtiæ*, ſed per fidem & per amorem ſicuti filii, ſequitur etiam, quòd fides non operetur niſi per charitatem, & nunquam per timorem. Error Quenelli in propoſitione LI. & in præſenti refricatus. Profectò ſi greſſus timoris ſint oppoſiti greſſibus fidei, evidenter patet, quòd, qui ambulat ex timore, non ambulet ex fide. Hoc manifeſtius fit ex eo, quòd Quenellus velit, quemcunque factorem legis ex ſolo timore legem adimplendo fieri verè Judæum, tametſi ſit baptizatus.

5. Si non debeamus appropinquare Deo *per inſtinctum naturalem, ſed per amorem*, ſequitur adhuc, non dari niſi duos amores, prout Quenellus jam intimavit propoſitione XLIV. nimirum verum Dei amorem, & amorem inordinatum, quo nos ipſos ac mundum diligimus; & conſequenter, quòd hic inſtinctus naturalis, vel potiùs hæc inclinatio naturalis erga Deum ſit inordina-

dinata ac vitioſa : quod eſt prorſus impium. Quantus errorum theſaurus in ſeptem vel octo propoſitionibus?

PROPOSITIO LXVIII.

QUanta Dei bonitas! quæ taliter abbreviavit viam ſalutis, claudendo totum in fide & precibus.

Omninò mirabile eſt, nihil penitus reperiri in Authore ſex Columnarum pro juſtificatione hujus propoſitionis: quippe quòd plurimùm interfuiſſet Apologiſtæ huic ipſi propoſitioni ſtudioſiùs immorari quàm cæteris, cùm nulla ex omnibus magis indigeat conſuetis artibus , ac patrocinio fraudulento ejuſdem Apologiſtæ , ne ſenſus propoſitionis exitioſus pateat ; neque enim ulla ex omnibus veneno periculi & erroris prægnantior eſt. Ex ſilentio tam affectato & intempeſtivo unum ex duobus conjicere fas eſt : vel quòd Author Hexaplarum deſperaverit cauſam Quenelli quoad præſentem propoſitionem, vel quòd amplexus ſit doctrinam in eâ contentam. Et verò quâ ratione tueri poſſet cauſam Quenelli? nónne Quenellus in præſenti propoſitione docet eviſceratis terminis dogma hæreticum Lutheri & Calvini prætendentium, ſolam fidem juſtificare; ad ſalutem ſufficere crediſſe , ſine dependentiâ aliorum bonorum operum? nec unquam deprehenderis Calvinum & Lutherum ad hoc propoſitum vel minùs æquivocos, vel magis explicitos quàm Quenellum.

Deinde hæc Exclamatio Quenellina, *quanta Dei bonitas!* portendit aliquid non vulgare : ſic enim exclamat, quaſi diceret ; potuiſſet Deus juſtiſſimo titulo pro affe-

quendâ ſalute æterná à nobis exigere arcta jejunia, intempeſtivas vigilias, mortificationes, eleemoſynas, aliáque bona opera, multum laboris & moleſtiæ creantia; Verùmtamen ejus bonitas & condeſcendentia versùs nos tam ingens eſt, & ſuperabundans, ut nihil à nobis requirat præter fidem & preces. Quis unquam audivit morale commodius aut laxius? Quidquid Author Hexaplarum in ſuâ ſextâ columnâ coacervat de laxâ & ſpacioſâ viâ, ducente ad perditionem, quorundam Caſuiſtarum, quorum doctrinam per Bullam *Unigenitus* auctorari temerè prætendit; id totum ſapit hiſpidum rigoriſmum reſpectu molliſſimi principii, hác propoſitione complexi.

Quid verò? ſi Author ſex Columnarum omninò ſibi adoptâſſet commodiſſimam hanc moralitatem? non id crediderim, alioquin eam vel explicâſſet vel defendiſſet. Deo judicium; qui ſcrutatur renes & corda: dicendum tamen, propoſitionem iſtam eſſe conſecutionem neceſſariò effluentem ex pluribus principiis præcedentium propoſitionum Quenelli: *(a)* Profectò, ſi ita ſit, quòd fides ſemper comitem habeat charitatem veram, adeò quidem, ut nec Deus ſit, nec Religio, ubi non eſt charitas; ſi res ita ſe habeat, quòd Charitas ſit adæquata impletio legis; adeò quidem, ut non detur aliud opus bonum, nec alia virtus, quàm charitas & fides; annon exinde ſequitur evidenter, quòd ad ſalutem fides ſufficiat, quòd aliud agendum non incumbat Chriſtianis, niſi benè credere, & ad ſummum benè Deum precari, ut dignetur in

(a) Propoſ. LIV. LVIII.

nobis

nobis conſervare fidem, quæ ſecundùm Quenellum eſt compendium ſalutis, atque iter ad patriam cæleſtem abbreviatum, utpote cæteras omnium obligationum ambages in ſe complectens: ſic ergò Abyſſus abyſſum invocat; ſic hæreſis inſtar famæ creſcit eundo, ſéque immergit erroribus, plùs quàm primo impetu intendiſſe videbatur.

§. II.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

Math. 19. 17. Si vis ad vitam ingredi, *ſerva mandata.*

Ibid. 25. 41. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, *& non mihi dediſtis &c.*

2. *Pet.* 1. 10. Satagite, ut *per bona opera* certam veſtram vocationem & electionem faciatis..... ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri.

Jac. 2. 14. Quid proderit, ſi fidem quis dicat ſe habere, *opera autem non habeat?* nunquid poterit fides ſalvare eum?

Conc. Trid. Seſſ. 6. Can. 20. Si quis dixerit, hominem juſtificatum, & quantumlibet perfectum non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, *ſed tantùm ad credendum*, Anathema ſit.

Clem. Alex. l. 5. *ſtrom.* Gratia ſalvamur, ſed non *abſque bonis operibus.*

Hilar. c. 7. in Math. Salus gentium omnis in fide eſt, & *præceptis Domini* vita univerſorum.

Greg. Nazian. Orat. in S. Lavacr. Operare bonum ſuper hoc doctrinarum fundamento; quoniam fides *ſine operibus* mortua eſt, quemadmodum & opera ſine fide.

Ambr. in c. 4. ad Hebr. Feſtinemus ingredi in illam requiem, quoniam *non ſufficit fides*, ſed debet addi & vita fidei condigna: Opus eſt quippe omni volenti Cælum poſſidere, fidem *operibus bonis* ornare.

Chryſ. hom. 30. in Joan. Qui credit in filium, habet vitam æternam. Nunquid ergò ſatis eſt ad vitam æternam in filium credere? *minimè:* Non enim omnis, qui dicit mihi Domine, Domine! intrabit in regnum Cælorum... Opus námque nobis eſt, *& vitæ, & morum* puritate pollere.

Hier. in. c. 26. Iſa. Murus & ante murale ponetur in eâ; murus *bonorum operum* & antemurale fidei: *Non enim ſufficit* murum habere fidei, niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur.

Aug. l. de fid. & oper. c. 14. Jam illud videamus, quod excutiendum eſt à cordibus religioſis, ne malâ ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam, *ſufficere ſolam fidem* putaverint.

l. 1. de vitâ contemp. c. 19. Nec opera ſine fide, nec fides *ſine operibus* juſtificat.

§. III.

Qualificatio Propoſitionis.

NOn fuſiùs impugnandam ſuſcipimus hanc propoſitionem extravagantem, cùm Apologiſta Quenelli eam

eam propugnandam non ſuſceperit, & quòd nemo ſit, qui ejus falſitatem non videat: meſſem hanc relinquimus falci Controverſiſtarum. Dicimus duntaxat, præſentem propoſitionem eſſe *impiam, ſcandaloſam, & hæreticam. Impia* eſt, quia mutilat cultum & ſervitium Deo debitum, reſtringendo omnes Chriſtianiſmi obligationes in ſolâ fide & precibus. Eſt *ſcandaloſa*, quòd Chriſtianus eâ præventus abbreviatè vivat, neglectis aliis bonis operibus compendioſus fidelis. Eſt *hæretica*, quia contradictoriè opponitur ſacris litteris & deciſionibus Concilii Tridentini: Sacris litteris, millies praxin variarum virtutum commendantibus & inculcantibus, ut per bona opera ſatagamus electionem noſtram & ſalutem certam facere. Concilio Tridentino, quod Seſſione 6. per tres canones contiguos Anathema dicit negantibus neceſſitatem bonorum operum, ſolámque fidem neceſſariam, aut ſufficientem aſſerentibus.

PROPOSITIO LXIX.

FIdes, uſus, augmentum, & præmium fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

AUthor ſex Columnarum non prolixum tenet ſilentium, neque enim hîc diſſimulat mentem ſuam, ut ad propoſitionem præcedentem, ſed aperto calculo ſuffragatur Quenelli ſui oraculo, idque defendit conſuetâ

audaciâ. " Non attingitur, inquit, (a) quid Cenſores
„ Romani potuerint damnare in hâc propoſitione LXIX;
„ ſi enim hæc ſecura non ſit à cenſuris, ergò verum non
„ erit ampliùs, hominem nihil habere, quod à Deo non
„ receperit, neminémque gloriari poſſe de aliquo, quod
„ Deus non prior dederit. Ergò homini deinceps diſtin-
„ guere licebit inter bona & bona, quorum tenet poſſeſ-
„ ſionem, dicétque Deo: hoc debeo puræ tuæ liberalita-
„ ti, non item illud: commodum iſtud provenit à te qui-
„ dem Domine, ſed illud aliud partim habeo à te, partim
„ à me ipſo. Horribilis loquela creaturæ ad Creatorem,
„ quæ ex ſe non niſi peccatum eſt in oculis Domini, qui
„ eam traxit è nihilo & inferno. „

Hæc eſt loquela Authoris Hexaplarum: Profectò loquela horribilis, cùm ſit communis loquela omnium hæreticorum, ut convincenter patet, ſi relegas loca citata in ſecundo paragrapho de propoſitione XXI. & ſequentibus, ubi clarè videbitur, Lutheranos & Calviniſtas non aliter expreſſiſſe ſuum dogma hæreticum de quiete & non actione voluntatis humanæ ſub motione & impulſu gratiæ, item de merito bonorum operum, niſi dicendo, quòd omne bonum à nobis poſſeſſum ſit donum puræ liberalitatis divinæ, & quòd impium ſit, velle diſtribuere bona opera inter gratiam Dei & voluntatem hominis. Igitur nemo nos ſeducat inanibus verbis iſtis, humilitatem Chriſtianam vaferrimè adumbrantibus, & non niſi pietatem ſpirantibus. Hujuſmodi expreſſiones, Verbi gratiâ, *quid habes, quod non recepiſti? totum eſt donum*

(a) pag. 215. col. 5.

puræ liberalitatis Dei: omnia Deo debemus, nec Deus eſt noſter debitor &c. hujuſmodi expreſſiones, inquam, tametſi in ſeipſis ſint optimæ & veriſſimæ, ſunt tamen in ore, calamo & ſenſu Novatorum peſſimæ, falſiſſimæ, cùm ſint hæreticæ.

Ita eſt; Nihil habes, quod non recepiſti, de quo non ſis Deo debitor: quia nihil operari potes ad ſalutem proficuum ſine adjutorio gratiæ prævenientis, concomitantis, & ſubſequentis. Nec tamen iſthæc gratia ita operatur omnia in omnibus, ut non etiam nos aliquid cum illâ operemur. Totum agit gratia, dicunt & docent Theologi, ſed non agit totum *totaliter*, hoc eſt: non taliter gratia eſt cauſa principalis omnium actionum ſupernaturalium hominis, ut humana libertas nullatenùs, nec ſuo modo concurrat.

Haud dubiè Author ſex Columnarum probè noverit hanc tritam diſtinctionem inter Theologos: ſed non ægrè rem capimus, quidque ſibi velit ſuo eloquio, hæreticis tantoperè familiari: vult nimirùm Lutheri æmulus eam explodere, & audacter cum Luthero pronuntiare: *Fruſtrà garritur diſtinctio Sophiſtarum; actum bonum eſſe totum à Deo, ſed non totaliter; eſt enim totus & totaliter à Deo;* verùmtamen ſi placet Authori Hexaplarum injuſtè ſubſannare cum Luthero Theologos Catholicos, non diſplicebit viciſſim Theologis Catholicis, utrumque juſtâ ſententiâ damnare de hæreſi.

Ita ſanè: Deus nulli creaturæ debitor eſt; nemini quid debet: ab ipſo enim ejuſque gratiâ omne meritum

no-

noſtrum, neque aliunde mereri poſſumus, niſi ex meritis Chriſti: ſuppoſitâ tamen voluntariâ acceptatione horum meritorum, vel potiùs ſuppoſitâ liberâ cooperatione voluntatis noſtræ cum gratia, quâ efficimur operarij bonorum operum, indubitatum eſt, quòd Deus hiſce operibus debeat aliquam compenſationem, & quòd iſthæc compenſatio, utpote operibus debita ex juſtitiâ divinâ, jam non ſit, ut vult Quenellus, donum puræ liberalitatis Dei. Ita definivit Concilium Tridentinum cum fulmine Anathematis (*a*) *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam &c. Anathema ſit.* Hîc ſubſiſte Lector, & per tranſennam conſidera, utrum nimius fuerim, dicendo in Analyſi propoſitionum XXXVI. & XXXVII. Quenellum non agnoſcere ullum verum meritum in homine; annon inde concludendum, quòd præſens propoſitio ſit *formaliter hæretica*; eò quòd exprimat dogma hæreticum terminis uſitatis & hæreticalibus, publicè inſectando deciſionem Concilii Tridentini. Cùm verò jam alibi verſati ſimus circa dogma illud in propoſitione contentum, quæ retrò ſunt abrumpentes pergamus ad anteriora; priùs tamen ſed remiſsè audiendo circa hoc Scripturas, Concilia & SS. Patres.

(*a*) Seſſ. 6. Can. 32.

§. II.

§. II.

Probatur Veritas Catholica Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

2. *Paral.* 15. 8. Vos confortamini: erit enim *merces* operi veſtro.

Prov. 11. 18. Seminanti juſtitiam *merces* fidelis.

Reſt. Merces, quæ datur merito, non eſt utique effectus *puræ* liberalitatis Dei

Eccl. 16. 15. Omnis miſericordia facit locum unicuique *ſecundùm meritum* operum ſuorum.

Sap. 3. 5. Deus tentavit eos, & invenit eos *dignos ſe.*

Math. 20. 8. Voca operarios, & redde illis *mercedem.*

Luc. 10 7. Dignus eſt Mercenarius *mercede* ſuâ.

Rom. 4. 4. *Ei*, qui operatur, *merces* non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm *debitum.*

2. *Tim.* 4. 8. Repoſita eſt mihi corona *juſtitiæ*, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex.

Hebr. 6. 10. Non eſt *injuſtus* Deus, ut obliviſcatur operis veſtri.

Apoc. 3. 4. Ambulabunt mecum in albis, quia *digni ſunt.*

Conc. Lateran. ſub Joan. III. Non ſolùm virgines & continentes, verùm conjugatæ, per fidem & operationem bonam placentes Deo, ad æternam *merentur* beatitudinem pervenire.

Arauſ. c. 18. *Debetur merces* bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

Conc. Trid. Seſſ. 6. Can. 32. Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratiâ diſceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum. Anathema ſit.

Cypr. de ſimplicit. Prælat. circa medium. Juſtitiâ opus eſt, ut *promereri* quis poſſit Deum: Præceptis ejus & monitis obtemperandum eſt, ut accipiant *merita* noſtra *mercedem.*

Greg. Nazian. orat. in S. Baptiſ. Crede reſurrectionem, judicium, *mercedem*, ad *juſtam* Dei lancem exigendam.

Ambr. l. 1. *de offic. c.* 15. Nónne evidens eſt, *meritorum* aut præmia aut ſupplicia poſt mortem manere?

Chryſ. hom 4. *de Lazar.* Si *juſtus* eſt Deus, & his & illis reddet pro *meritis.*

Hier. l. 2. *cont. Jovin.* Jam noſtri laboris eſt, pro diverſitate virtutum *diverſa nobis præmia præparare.*

Aug. ep. 105. *ad Sixt.* Nulláne ſunt merita juſtorum? *ſunt planè*, quia juſti ſunt; ſed ut juſti fierent, merita non fuerunt.

Id. ibid. Nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo *merito* eſt, ſi fides hanc impetrat: neque enim eſt nullum *meritum fidei.*

Id. ep. 144. *ad Anaſtaſ.* Lex adducit ad fidem, fides *impetrat ſpiritum largiorem*, diffundit ſpiritus charitatem, implet charitas legem.

Id. ep. 106. *ad Bonif.* Gratia *meretur augeri*, ut aucta *mereatur* perfici.

Paulin.

Paulin. ep. ad Vict. Tuarum tibi præmia ſe *debere* virtutum, judex juſtus agnoſce.

Proſp. ad cap. Gall. reſp. 6. Juſtificatus nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio *acquirat & meritum.*

Bern. ſerm. 81. *in Cant.* Quòd feceris bonum malúmve, quod quidem non facere liberum ſit, *merito ad meritum deputatur.*

Thom. 1.2. *q.* 114. *a.* 8. *c.* Juſtus homo per ſua opera bona, quatenùs movente Deo facta ſunt, vitam æternam *de condigno meretur, & ipſum gratiæ* & charitatis augmentum.

Bonav. in Brevil. part. 4. *c.* 2. Ipſa (gratia) autem habita *meretur* ſuiipſius augmentum in ſtatu viæ per bonum ejus uſum *merito condigni....* Et ideò non tantùm liberum ejus arbitrium per gratiam *meretur gratiæ augmentum* in ſtatu viæ *merito digni*, verùm etiam *complementum in ſtatu patriæ merito condigni.*

PROPOSITIO LXX.

NUnquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

REcordare, quid ſupra dixerim in Analyſi propoſitionis XXXIV. & XXXV. de ſtatu naturæ puræ, nimirum quòd ſit ille ſtatus, in quo homo ſine pec-

Digitized by Google

cato & in innocentiâ creatus, non fuiſſet per gratiam elevatus ad finem ſupernaturalem, fuiſſetque ſubjectus motibus concupiſcentiæ, morti, aliiſque miſeriis humanam vitam amaricantibus. Jam hic ſtatus, inquiunt Janſeniani, prout jam notatum ſuperiùs, eſt purè imaginarius & chimericus: Potiſſima ratio, quam dant, eſt iſta, quòd Deus non poſſit agere injuſtè; atqui injuſtum eſt, ajunt, affligere innocentes, quales ſupponuntur exiſtentes in tali ſtatu puræ naturæ ex hypotheſi, ergò impoſſibile eſt, Deum potuiſſe hominem creare in tali ſtatu.

Hoc ratiocinium inſinuat Quenellus præſente ſuâ propoſitione, cùm dicit: *Nunquam Deus affligit innocentes*: ratiocinium non abſimile illi, quod videtur in Bayo, (*a*) qui poſtquam negâſſet poſſibilitatem ſtatûs puræ naturæ, tandem concludit, & cum ipſo Quenellus, omnes tribulationes juſtorum eſſe in ſupplicium & pœnam peccati: *Omnes omnino juſtorum afflictiones*, inquit Bayus, *ſunt ultiones peccatorum ipſorum, unde & Job & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt.* Neque etiam abſimile eſt ratiocinium iſtud ratiocinio Lutheranorum & Calviniſtarum, præſertim Præconis Chamieri, (*b*) qui probat, Virginem Matrem peccatis quoque ſubjectam fuiſſe ex eo, quòd etiam ſubjecta fuerit miſeriis humanæ vitæ: nec tamen ſic tenent hæretici, quòd non æquè ac Quenellus agnoſcant, Deum poſſe, ſi velit, alium ſibi finem quàm ultionem peccati proponere, affligendo hominem:

(*a*) Bay. prop. 72.

(*b*) Cham. tom. 3. l. 5. c. 11. §. 1.

ſed volunt ſicuti Quenellus, Deum non permiſſurum, juſto quid mali accidere, niſi reum agnoſceret alicujus delicti.

Cæterùm ſi credas Authori Hexaplarum, (*a*) quidquid hîc dicitur, eſt puriſſima doctrina Patrum Eccleſiæ, præcipuè S. Auguſtini: „ Apparet, Quenellum fuiſſe ſol-„ licitum, transſcribere loca S. Doctoris Hypponenſis, „ & cùm nihil egerit, niſi imitari S. Auguſtinum, vide-„ tur omninò, eum non indigere Apologiâ, nec pro „ rei ſubſtantiâ, neque pro modo eam exprimendi. „

Quid? num tranſcribere Patres Eccleſiæ, num dicta illorum calamo imitari ſufficiat, ut deinde impunè poſſis ab eorum ſenſu & doctrinâ deflectere? quis hæreticorum, hâc viâ & methodo incedens, cui non liceret abſurdiſſimis erroribus devaſtare Eccleſiam? quando igitur SS. Patres dicunt, quòd omnis pœna, ſi juſtam ſupponas, ſit pœna peccati; & quòd nemo poſſit eſſe infelix, niſi id promeruerit; nolunt per hoc dicere, Deum nequiviſſe creare hominem ſine peccato, & tamen ſubjicere calamitatibus, quibus affligimur; prout haud difficulter de mente Patrum convincimur ex textibus citatis in Analyſi propoſitionis XXXIV. & XXXV. paragrapho tertio: non ergò aliorſum tendunt, niſi probare contra Pelagianos exiſtentiam peccati originalis, ex humanæ vitæ agonibus, tanquam ſequelis & effectibus peccati neceſſariò præſupponendi; cùm enim Deus hominem fecerit rectum, cùm creaverit naturam humanam in ſta-

(*a*) pag. 279. col. 4.

tu felicitatis, ex eo cadere haud potuit homo in ſtatum miſeriarum abſque peccato, propter quod Deus voluit ipſum derelinquere, ac tradere miſeriis naturæ, à quibus antea eum præſervavit ex gratiâ.

Igitur SS. Patres, cùm dicunt, hominem non potuiſſe ſine notâ injuſtitiæ divinæ immergi miſeriis, ſi fuiſſet omninò immunis ab omni delicto, ſupponunt hominem jam creatum & conſtitutum in ſtatu tranquillo & felice, in quâ ſuppoſitione & hypotheſi ſubſequentes miſeriæ utique debuiſſent eſſe ultiones & punitiones peccati, quibus innocens juſtè non ſubditur. Non ita ſe res haberet in ſtatu naturæ puræ; tunc enim illæ calamitates hominem innocentem aggravantes reſpectu ipſius non forent ſupplicia peccati, ſed neceſſariæ conſecutiones naturæ, à quibus Deus potuiſſet ejuſmodi hominem non præſervare per gratiam; nemini enim tenetur gratias concedere. Hîc paucis habetur explicatio textuum S. Auguſtini, aliorúmque Eccleſiæ Patrum ab Hexapliſtâ citatorum.

Porrò quid demonſtrat luculentiùs, Deum poſſe affligere innocentes, quàm ipſa experientia ocularis in dies & horas? quantis ſubſunt miſeriis innocentes parvuli? an non interim de fide eſt, eos plenè purgatos eſſe per lavacrum baptiſmatis? verum eſt, ampliſſimas has anguſtias eſſe conſecutiones peccati originalis, quod niſi contraxiſſent, nullas ſentirent miſerias: Cùm verò ſemel per peccatum perdiderint jus illud, quod antea habebant ad vitam beatam & tranquillam, inde non redditur

tur ipſis à Deo hoc jus per gratiam baptiſmi, quæ eſt prorſus diverſi characteris à gratiâ originali primo Parenti donatâ, adeóque miſeriæ illæ parvulis communes jam non habent ampliùs rationem pœnæ, ſeu ultionis, ſed conſecutionis neceſſariæ ad debilitatam eorum naturam, à quibus eximios ſervare Deus non tenetur ex juſtitiâ.

Ergò venenum hujus Propoſitionis principaliter conſiſtit in eo, quòd inſinuet impoſſibilitatem naturæ puræ, in quâ homo innocens & abſque peccato creatus potuiſſet ſubjacere modernis miſeriis. Unde meretur eaſdem qualificationes, quibus ſignantur propoſitiones, hanc materiam concernentes, de quibus ad abundantiam ſupra tractavimus: reſtat audire alia quædam teſtimonia ad præſens propoſitum.

§. II.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

Job 2. 3. Tu autem commoviſti me adversùs eum, ut affligerem eum *fruſtra.*

Ibid. 6. 2. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui; & calamitas, quam patior, in ſtaterâ: *quaſi arena maris hac gravior appareret.*

Tob. 12. 13. *Quia acceptus eras Deo*, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.

Math. 5. 10. Beati qui perſecutionem patiuntur *propter juſtitiam.*

Joan.

Joan. 9. 2. Quis peccavit,hic,aut parentes ejus,ut cæcus naſceretur? Reſpondit Jeſus: *neque hic peccavit, neque parentes ejus*; ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.

Greg. Nyſſ. l. 8. *de provid.* Concedit ſæpenumerò, juſtum in calamitates incidere; *ut virtutem*, quæ in ipſo latet, *alijs oſtendat*; velut in Job.

Id. infrà: Alio modo ſanctum etiam mala pati permittit, *ut non* ex rectâ conſcientiâ, ſed attributâ ei virtute in elationem incidat, ut in Paulo.

Chryſ. l. 2. *de provid. Dei.* Nos dum flagellis erudimur, peccatorum noſtrorum pœnas damus. At verò paſſus ille (Abel) *nullâ causâ* cruciatus eſt, *niſi quia juſtus erat.*

Aug. ſerm. 167. *de Div. c.* 7. Quidquid paſſus eſt Paulus, *non fuit tormentum pœnæ, ſed occaſio coronæ.*

Id. l. 83. *qq. q.* 27. Omnis tribulatio, aut pœna impiorum eſt, aut *exercitatio juſtorum.*

Id. in pſalm. 43. *v.* 17. In medio tribulationis, quare? *ut appareat animus, colens Deum*, & quantum colat Deum; ut videatur, utrum gratìs colat eum, à quo ſalutem gratìs accepit.

Id. l. 4. *de civit. Dei c.* 3. Nam juſtis quidquid malorum ab iniquis Dominis irrogatur, non eſt pæna criminis, ſed *virtutis examen.*

Id. ibid. l. 1. *c.* 29. Habet itaque omnis familia ſummi & veri Dei conſolationem ſuam.... Boníſque terrenis tanquam peregrina utitur, nec capitur; malis autem *aut probatur*, aut emendatur.

Ab eod. Sentent. decerpta: ſentent. 23. Juſtè judicio Dei

datur

datur plerumque peccatoribus poteſtas, quâ ſanctos ipſius perſequuntur; *ut*, qui ſpiritu Dei juvantur & aguntur, *fiant per laborum exercitia clariores.*

Laur. Juſt. de caſto connub. verb. & anim. c. 15. Propter peccata quidem noſtra & iniquitates Patrum noſtrorum Jeruſalem & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus. *Innocenter* verò humiliatus fuerat Job, vir utique ſimplex, & rectus ac timens Deum, & recedens à malo, qui .... in ſuâ perſeverans innocentiâ dicebat confidenter: *Non peccavi, & in amaritudine moratur oculus meus.* Præ omnibus denique innocenter & ſine causâ humiliatus eſt Dominus Jeſus, *qui peccatum non fecit* .... & tamen ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt.

Thom. opuſc. 7. *ſup. Pater noſter petit.* 6. Ideò Deus immittit ſæpe tribulationes juſtis; *ut dum patienter ſuſtinent, appareant virtutes eorum*, & in virtute proficiant.

Bonav. l. 4. *d.* 15. *part.* 1. *dub.* 3. Si cauſa accipiatur propriè pro causâ meritoriâ & finali, *ſic non meruit Job ullam pœnam.* Et quòd dicitur: *Utinam appenderentur peccata mea &c.* hoc eſt potiùs ad oppoſitum; quia ſicut ipſe dicit conſequenter, *quòd pœna improportionaliter excedit meritum.*

PROPOSITIO LXXI.

HOmo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab eâ lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

Homo *ex propriâ authoritate* poteſt ſeſe diſpenſare ob conſervationem ſui, *ſibique neceſſariorum ad vitam tempora-*

lem, ab *omni* lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

Analyſin præſentis propoſitionis meditanti prima fuit cogitatio, examinare columnam ſextam Hexaplarum, exploratûm, quid Apologiſta Quenelli hoc loco cenſeat de laxa doctrina Caſuiſtarum, quos vocat laxones. Verùm hæc columna apparuit tabula raſa, ſeu charta candida. Non multùm indè mirabar: Quid enim laxius hâc propoſitione Quenellina poſſit excogitari in doctrinâ morali longè corruptiſſimâ? principium deteſtabile, quod ad petram allidit, & confringit omnium legum tabulas, redditque hominem independentem, & conſequenter laxat fores quibuſcunque abominationibus.

Juxta hoc præſcriptum Quenelli homo jam non ſubditur legi, ſed lex homini: homo tanquam abſolutus in legem Dominus poteſt ad guſtum & beneplacitum eam reſtringere, extendere, limitare, interpretari, ſeſeque ab eâ diſpenſare propriâ authoritate, non attentâ authoritate alienâ poteſtatum ligitimarum: ſecundùm hanc regulam tutum eſt cuicunque homini particulari excutere jugum legis, non ſolummodò in caſu urgentis neceſſitatis ad conſervationem vitæ, ſed & bonorum, honorum, tranquillitatis, ſanitatis, virium; terminus enim *conſervatio ſui* eſt genericus, complectens in conceptu ſuo naturali & obvio quæcunque neceſſaria ſunt tuendæ vitæ temporali: ſecundùm hoc Quenelli oraculum poteſt homo ſeſe diſpenſare ob conſervationem ſui non duntaxat à quibuſdam legibus ſpecialibus, ſed ab omnibus

in

in genere, cujuſcunque naturæ ſint; eſt enim propoſitio Quenelli indefinita. Patet deinde, quòd loquatur de omni lege à Deo ad noſtram utilitatem conditâ; ergò cùm Deus omnes leges condiderit ad noſtram utilitatem, non videtur ſupereſſe dubitandi locus, Quenellum hìc loqui de omni lege, præcisâ omni exceptione.

Nemo negat; univerſa propter ſemetipſum & ad gloriam ſuam operatus eſt Deus: verùmtamen concedendum quoque eſt, Deum quærere gloriam ſuam ad propriam noſtram utilitatem. Quantumcunque vitioſi & inordinati ſimus, non exinde Deus fit minor aut infelicior: neque enim noſtris indiget officiis: *Plenus ſum*, ait Dominus per os Prophetæ, *& nullius indigeo*: non niſi ad noſtram utilitatem proficit obſervantia legum; quamobrem cùm Quenellus dicit, quòd homo ob ſui conſervationem poſſit ſeſe diſpenſare ab eâ lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem, apertè profitetur, quòd homo poſſit ſeſe diſpenſare univerſim ab omni lege, nullâ exceptâ, cùm nulla exiſtat à Deo condita niſi ad hominis utilitatem.

Inferes fortè; num poſſibile, num credibile ſit, Quenellum voluiſſe ſtabilire principium tantâ abominatione plenum? reſpondeo; non eſt quæſtio, quid Quenellus voluerit dicere, ſed quid actu & in effectu dixerit: ſufficit ejuſmodi virus contineri in propoſitione Quenelli ſecundùm ſenſum ejus naturalem, & obviè intellectui cujuſcunque ſeſe exhibentem, ut cenſuris afficiatur, &

proſcribatur ab Eccleſiâ tot funeſtis experientiis hucuſque edocta, nihil intentatum relinqui ab illis, qui ſemel excuſſo jugo Authoritatis Eccleſiæ ſuis erroribus famulantur. Dato dein, evidens eſſe, ut prætendit Author ſex Columnarum, (*a*) quòd Quenellus hâc propoſitione tantùm loquatur de legibus poſitivis, nihilominùs, vel ex hoc ipſo & ſolo, ut peſſima ſuam meretur damnationem. 1. Quia falſiſſimum eſt, hominem ex propriâ Authoritate poſſe ſeſe diſpenſare à legibus poſitivis, ita ut neceſſe non ſit recurrere ad legitimos Superiores pro obtinendâ diſpenſatione. 2. Quia caſus ille extremæ vel gravis neceſſitatis conſervandi vitam, in quo non tenemur ad ſuperiores recurrere, non exprimitur in propoſitione, ſed vaga quædam & generica neceſſitas, apta recipiendi quamcunque arbitrariam extenſionem.

Hic fruſtrà & inutiliter reclamatur cum Authore Hexaplarum, (*b*) Quenellum tradere regulas exactiſſimas in diſpenſandis legibus poſitivis attendendas: quidquid ſit, nihil refert; non enim eodem loco, quo ponit propoſitionem hanc peregrinam, etiam præſcribit regulas eam applicandi: Propoſitio deducitur ex ſecundo capite S. Marci; ècontra dictæ regulæ deſumuntur ex capite duodecimo S. Mathæi. Cùm itaque antidotum ſit adeò remotum à toxico, hoc toxicum non ceſſabit exercere infectiones ſuas inſanabiles, præſertim in puſillis ſpiritu, & modicæ fidei conſcientiis. Videamus tamen, quæ ſint illæ regulæ, quas Quenellus ſtatuit circa diſpen-

(*a*) pag. 352. col. 4.
(*b*) pag. 359. col. 5.

ſationem in legibus. „ Leges poſitivæ, inquit, (a) ceſſant „ obligare quatuor modis. 1. Ex lege naturali neceſſita-„ tis. 2. Ex aliâ lege ſpeciali & ſuperiore . . . . ad Dei ſervi-„ tium. 3. Ex lege charitatis & miſericordiæ, omni alte-„ ri legi præhabendâ. 4. Tandem ex diſpenſatione legiti-„ mâ, ſive ex Authoritate Legiſlatoris. Poſsintne aſſigna-„ ri, quærit Author Hexaplarum, regulæ prudentiores „ ſimul & exactiores circa deſpenſationem legum?„ Ita profectò; poſſent abſque dubio aſſignari regulæ & prudentiores & exactiores; eò quòd manifeſtè pateat, per has aſſignatas nobis ſubminiſtrari ideas & conceptus perquàm confuſos & impolitos de cauſis & rationibus, circa leges poſitivas diſpenſantibus.

Reverà enim, cùm hîc ſit quæſtio de dandis regulis directivis, quibus uti poſſint cujuſcunque ſtatûs & conditionis homines, nónne oportuiſſet, 1. Diſtinguere varias ſpecies neceſſitatum, quæ poſſint vel non poſſint diſpenſare à legibus? nónne datur neceſſitas ad melius eſſe, neceſſitas vitæ, neceſſitas condecentiæ, neceſſitas gravis ſive extremâ? quis non videt terminum *neceſſitas* genericè ſumptum convenire pluribus ſpeciebus neceſſitatis? quis interim conceſſerit, eas ſemper eſſe validas & ſufficientes rationes ad diſpenſandum in lege? 2. Num omnis homo comprehendit, quid ſibi velit Quenellus per diſpenſationem â lege ex aliâ lege ſuperiore, & ad Dei ſervitium? nihil adeò latum & ſpatioſum ac Dei ſervitium: ſítne licitum & diſpenſatione cautum, verbi gra-

(a) in Math. c. 12. 4.

tiâ, cæmentariis aut fabris murariis, laborare diebus Feſtis & Dominicis in exſtruendo templo? ſitne innoxium Concionatori, veſci carnibus in Quadrageſimâ? certè in uno & altero caſu agitur de cultu, de ſervitio, de gloriâ Dei, & tamen Quenellus nihil determinat, nihil decidit deſuper. 3. Neque etiam quid magis æquivocum, quàm lex illa charitatis & miſericordiæ, à Quenello allata, tanquam ratio ſufficiens, ſeſe diſpenſandi à cæteris legibus. Poſſétne quis ſequendo hanc regulam & legem charitatis ac miſericordiæ laborare diebus Feſtis & Dominicis propter veſtiendos pauperes? auderétne quis diebus iſtis omittere auditionem Sacri propter viſitandos captivos aut ægrotos? Profectò ſat prolixâ explicatione hîc opus foret. 4. Nónne etiam circa quartam regulam neceſſe fuiſſet exponere, quando diſpenſatio Superioris ſit legitima? utrum ſuperior poſſit diſpenſare in dubio de ratione ſufficiente, vel utrum non poſſit, & in quibus caſibus & circumſtantiis id poſſit? denique quando teneamur ad Superiorem recurrere, & quando non teneamur? Quot & quàm ponderoſæ ſupereſſent regulæ præſcribendæ circa hæc & alia: igitur illæ regulæ, quas præbet Quenellus, non pollent eâ prudentiâ & exactitudine, quam jactat Apologiſta. Unde etiam manifeſtè patet, quòd licèt ſæpefatæ regulæ fuiſſent immediatim locatæ ad propoſitionem malignam hîc agitatam, minimè tamen ſuffeciſſent temperando ejus veneno, aut cicurandæ ejus ferocitati.

Cæteroquin nemo non videt, hanc propoſitionem, qualis & quatenùs extat enuntiata in Quenello, eſſe

falſam, pernicioſam, ſcandaloſam, & erroneam. Hoc nullas petit probationes.

PROPOSITIO LXXII.

NOta Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quòd ſit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cæli, & omnes Electos & Juſtos terræ, & omnium ſæculorum.

PROPOSITIO LXXIII.

QUid eſt Eccleſia, niſi cætus Filiorum Dei, manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi.

PROPOSITIO LXXIV.

ECcleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes verò Sanctos ut membra.

PROPOSITIO LXXV.

UNitas admirabilis Eccleſiæ! quæ eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia & Perſona. Unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.

PROPOSITIO LXXVI.

NIhil ſpatioſius Eccleſiâ Dei, quia omnes electi & juſti omnium ſæculorum illam componunt.

PROPOSITIO LXXVII.

QUi non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interiùs habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.

Digitized by Google

PROPOSITIO LXXVIII.

SEparatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.

§. I.

Senſus Naturalis Propoſitionum.

NOta Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quòd ſit Catholica, id eſt, univerſalis, *& hac ejus univerſalitas ex eo patet, quòd* comprehendat & omnes Angelos cæli, & omnes *& ſolos* electos & juſtos terræ, & omnium ſæculorum, *excluſis aliis non juſtis, neque electis.*

Quid eſt Eccleſia *Chriſti vera & propria*, niſi *ſolus* cætus filiorum Dei, manentium in ejus ſinu *interno*, adoptatorum in Chriſto, *ſeu prædeſtinatorum*, ſubſiſtentium in ejus perſonâ *per charitatem*, *efficaciter* redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam *efficacem*, & expectantium gratiam futuri ſæculi; non autem peccatorum & reproborum, utpote non adoptatorum in Chriſto, non ſubſiſtentium in ejus Perſonâ per charitatem, non verè & reipsà redemptorum, non viventium ejus ſpiritu, non agentium per gratiam efficacem &c.

Eccleſia *Chriſti vera & totalis*, ſive integer Chriſtus, incarnatum Verbum habet ut Caput *inviſibile, non autem Papam ut Caput viſibile*, omnes verò ſanctos *& ſolos ſanctos*, ut membra, *adeò ut non ſancti non ſint vera membra veræ Chriſti Eccleſiæ.* Uni-

Unitas admirabilis *veræ Chriſti Eccleſiæ*! quæ eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris *ſanctis, juſtis & prædeſtinatis*, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia & Perſona. Unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus & *ſolis* ſanctis, quorum eſt Sanctificator, non verò aliorum.

Nihil ſpatioſius *verâ & propriè dictâ* Eccleſiâ Dei: *purè externa & impropria ſeu nominalis Chriſti Eccleſia, complectens etiam peccatores & reprobos, non eſt tam ſpatioſa*: illam enim priorem componunt omnes & *ſoli* electi & juſti omnium ſæculorum.

Qui non ducit vitam dignam Filio Dei & membro Chriſti, *tametſi adhuc haberet fidem & ſpem, aliáſve virtutes*, ceſſat tamen interiùs habere Deum pro Patre, *ita ut non ſit ampliùs filius Eccleſiæ Dei*, & Chriſtum pro Capite, *ita ut non ſit ampliùs membrum veræ Eccleſiæ.*

Separatur quis â populo electo, qui ſolus eſt verus Cætus, & vera Chriſti Eccleſia, & cujus figura fuit populus Judaicus, & cujus *ſolum & unicum* Caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium *per peccata*, quàm non credendo Evangelio *per infidelitatem*.

Notum eſt univerſis Catholicis, tres dari Eccleſias, quæ in certo ſenſu coaleſcunt in unam eandémque Eccleſiam propter relationem, quam habent ad idem Caput inviſibile, quod omnibus tribus præſidet; & ad eundem Spiritum ſanctum, quo omnes tres animantur, nimirum, Eccleſia triumphans in Cælis; Eccleſia patiens in purga-

Digitized by Google

torio, & Eccleſia militans in terris. De hâc ultimâ ſeu militante jam procedit quæſtio, utpote quæ eſt cætus hominum fidelium, qui ejuſdem fidei Chriſtianæ profeſſione, & eorundem Sacramentorum participatione ſub regimine Paſtorum legitimorum, præſertim Summi Pontificis Chriſti in terris Vicarii, uniuntur.

Ex hâc definitione haud ægrè dignoſcuntur illi, qui ſunt, vel non ſunt de Eccleſiâ; conſiſtit enim tribus partibus hæc definitio. 1. Includit profeſſionem veræ fidei. 2. Participationem Sacramentorum. 3. Submiſſionem legitimis Paſtoribus, præſertim Supremo Pontifici. Reſpectu primæ partis extra Eccleſiam ſunt omnes infideles, ſive illi, qui nunquam fuerunt in Eccleſiâ, nimirum Judæi, Pagani, Ethnici, ſive illi, qui aliquando in Eccleſiâ exiſtentes eam deſeruerunt, ut ſunt Apoſtatæ & hæretici: reſpectu ſecundæ partis extra Eccleſiam ſunt Catechumeni, & Excommunicati, eò quòd priores ad Sacramentorum participationem necdum admiſſi, poſteriores verò ab eâ excluſi ſint: reſpectu tertiæ partis extra Eccleſiam fiunt Schiſmatici, qui cùm non audiant legitimum Paſtorem, nec ei obediant, conſequenter nec profitentur fidem, nec participant Sacramentis in Eccleſiâ, ſed extra Eccleſiam. Ex his deducitur, cæteros omnes, cujuſcunque ſint characteris, juſtos ſive peccatores, prædeſtinatos ſive reprobos verè eſſe de & in Eccleſiâ, quamvis diverſo modo, magis vel minùs perfecto.

Hæc eſt doctrina Eccleſiæ Catholicæ; qui verò non ſunt ex hâc Eccleſiâ, nimirum hæretici, aliter ſentiunt & diſcurrunt. Inter ipſos circa præſens quæſitum vi-

gent, & numerantur quinque differentes opiniones. Primam tenent Huſſitæ & Wicleffiſtæ, docentes, Eccleſiam conſiſtere in Cætu prædeſtinatorum. & quòd omnes & ſoli electi ſint de Eccleſiâ. Secunda eſt Pelagianorum, volentium, teſte Auguſtino, Eccleſiam componi ex ſolis perfectis, omni ſcelere puris, nulli peccato obnoxiis. Tertia eſt Novatianorum & Donatiſtarum, non omnes peccatores extra Eccleſiam ſtatuentium, ſed duntaxat enormiores peccatores, præcipuè illos, qui ſemel in Idololatriam prolapſi, vel quodam alio crimine externæ infidelitatis infames erant. Quartam ſequuntur Confeſſioniſtæ, tenentes, quòd ſoli juſti & ſancti ſint de Eccleſiâ, & quòd peccatores non verè & reipsâ ſpectent ad Eccleſiam, ſed ſolummodò nominétenus. Quintam denique amplectuntur Calviniſtæ, defendentes, quòd Eccleſia non conſiſtat indiſcriminatim ex omnibus juſtis & Sanctis, ſed tantùm ex juſtis prædeſtinatis, in quo differunt à Wicleffiſtis & Huſſitis olim docentibus, prædeſtinatos, tametſi actu peccatores aut infideles ſint, eſſe tamen veraciter de Eccieſiâ, cùm ècontra Calviniſtæ ſolùm admittant prædeſtinatos actu juſtos, tanquam vera Eccleſiæ membra.

Deſuper ſolicitè obſervandum eſt cum Bellarmino, (*a*) quòd Lutherani & Calviniſtæ diſtinguant duplicem Eccleſiam militantem; una eſt interior & vera, ad quam pertinent omnes utilitates, cuncta privilegia, de quibus ſcripturæ teſtantur; Altera eſt exterior & purè nominalis, quæ propriè loquendo non eſt vera Chri-

(*a*) l. 3. de Eccl. milit. c. 2.

ſti Eccleſia. Prior illa militans eſt inviſibilis, compoſita ex juſtis & electis tantùm. Secunda eſt viſibilis, compoſita ex bonis & malis. In hoc ultimo ſenſu, ut notat Bellarminus, potiſſima pars Sectariorum libenter admittit, & fatetur, Eccleſiam eſſe viſibilem, juſtos & injuſtos mixtim in eâ exiſtere, tam hos quàm illos verſari in Eccleſiâ, in eâ congregari inſtar bonorum & malorum piſcium in retibus piſcatorum, inſtar Zizaniorum & boni frumenti in agro Patris-familias. Hoc poſito.

Evidens eſt, Quenellum in his ſeptem propoſitionibus patrocinari mox dictis differentibus hæreticorum erroribus: neque enim propoſitiones iſtæ cenſendæ ſunt inconſideratè & quaſi in incertum prolatæ, ut nonnunquam contingit Auctoribus minùs ad rem attentis, aut cogitationes ſuas ambiguè exprimentibus. Sunt propoſitiones ſtudioſè quæſitæ & ponderatæ, quibus Author, ut ad oculum patet, ſine fuco, ſine velo pandit verbis, quod mente cogitat. Cùm Quenellus dicit, ſolos juſtos, ſolos electos eſſe de Eccleſiâ, non ſic loquitur abſque propoſito, aut inſtar ſcriptoris Problematici, tanquam circa rem extra quæſtionem, ſed tempeſtivo & opportuno conatu vult deſignare notas Eccleſiæ, vult deſcribere ejus proprietates eſſentiales per definitionem exactam & rigoroſam, vult metiri ac delineare ejus ambitum & extenſionem, ejus latitudinem & magnitudinem; Si uſpiam, profectò hâc occaſione debuiſſet mentem ſuam aperire dicendo, peccatores quoque ac reprobos eſſe de Eccleſiâ, ſiid fideliter credidiſſet: plus dicam: non ſolùm

Que-

Quenellus reticet, peccatores quoque eſſe de Eccleſiâ, ſed eos poſitivè excludit ab Eccleſiâ : *ſeparatur quis à populo electo*, inquit, *tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio* : ac ſi diceret; peccatores non magis ad Eccleſiam pertinent, quàm Turcæ, quàm Gentes, & Hæretici. En quid ſibi velit iſte terminus æquiparans *tam*. Nec Lutherus nec Calvinus videntur unquam candidioribus verbis expreſſiſſe ſua dogmata hæretica; nec unquam ſatis mirabuntur oculatiores temeritatem Authoris ſex Columnarum, quòd ita audacter arguat & Cenſores Romanos de injuſtitiâ, & Pontificem Romanum de præventione, utpote attentantes damnare propoſitionem tam orthodoxam.

At quo fundamento nixus accuſat Hexapliſta & Cenſores Romanos de injuſtitiâ, & Papam de præventione? Reſpondet; (*a*) quia Quenellus manifeſtè docet, Eccleſiam eſſe compoſitam ex bonis & malis, reprobis & electis: Verùm quid proſunt Quenello univerſæ expreſſiones ejuſmodi apparenter Catholicæ, cùm etiam ſint communes Lutheranis & Calviniſtis, ut ſupra oſtenſum eſt? poſtquam toties & tam clarè cum hæreticis tenuit, peccatores non eſſe de Eccleſiâ; quid ſupereſt? quis non fidenter perſuaſus crediderit, Quenellum, ubicunque ab Authore ſex Columnarum favorabiliter citatur, ſolùm loqui de Eccleſiâ exteriore, non de verâ Chriſti Eccleſiâ?

Ipſo Hexapliſtæ teſtimonio plenè convincimur de mente Quenelli. Audiamus tantiſper loquentem hunc

(*a*) pag. 331. col. 5.
pag. 339. 341. col. 5.

virum, vel potiùs Quenellum ex ejus ore & organo. „Neceſſariò obſervandum eſt, inquit, (*a*) quòd Eccle„ſia, ſi conſideretur talis, qualis eſt in terris, poſſit di„ſtingui ſecundùm id, quod eſt exteriùs, & quaſi cor„pus Eccleſiæ, & ſecundùm id, quod eſt interiùs & „quaſi anima Eccleſiæ; Spiritus Domini, Spiritus cha„ritatis & ſanctitatis reconditus in cordibus fidelium „eſt anima hujus Eccleſiæ, ſicut viciſſim ſacramenta, „ſigna externa, communio credentium, eíque omnes, „qui hæc ſigna circumferunt, ſunt corpus Eccleſiæ. „ An non ſermones iſti manifeſtè produnt, Quenellum ejúſque Apologiſtam manutenere, quòd peccatores non ſint ex gremio internæ ſed tantùm externæ Eccleſiæ? cùm penes ipſos Spiritus charitatis & ſanctitatis, quo peccatores deſtituuntur, illud internum ſive animam Eccleſiæ conſtituant.

Hic advertendum, non in eo reprehendi Quenellum ejúſque armigerum, quòd dicant, Eccleſiam componi ex corpore & animâ, interno & externo; eſt enim veraciter hæc doctrina omnium Theologorum poſt S. Auguſtinum, ut alibi notavimus; ſed in eo reprehenſibiles ſunt, quòd aſſerant, peccatores non habentes Spiritum charitatis & ſanctitatis, nullo modo pertinere ad animam ſive ad illud internum Eccleſiæ; error ſanè craſſiſſimus, datâ dexterâ amicus errori hæreticorum aſtruentium, quòd peccatores duntaxat pertineant ad exterius Eccleſiæ, ſeu ad Eccleſiam purè nominalem, non ad internam & veram Chriſti Eccleſiam.

(*a*) pag. 331. col. 4.

Hæc eſt mens & ſententia, hic ſenſus unanimis omnium Theologorum orthodoxè docentium, quòd nimirum per virtutes, fidem, ſpem & charitatem fideles ſpectent ad animam & internum Eccleſiæ ſtatum, ſicut pertinent ad corpus & ad exterius Eccleſiæ per participationem externam Sacramentorum. Quapropter cùm peccatores etiam poſt peccatum adhuc retineant quaſdam virtutes interiores, videlicet fidem & ſpem, idcircò tam ad animam quàm ad corpus Eccleſiæ pertinent. Verum eſt, quòd exuti ſpiritu charitatis vivificante ſint membra mortua Eccleſiæ Chriſti, nihilominùs tametſi carentes vitâ & motu per dilectionem, ſaltem habent initium vitæ, ac ſpeciem quandam ſenſationis per fidem & ſpem, ſúntque adhuc intrinſecùs uniti Chriſto eátenus, ut pergant recipere nonnullos influxus occultos per internas virtutes in anima reſiduas; & aliqui, ait Bellarminus poſt S. Thomam, etiam ſolum initium vitæ habent & quaſi ſenſum, ſed non motum; ut qui habent ſolam fidem ſine charitate.

Nihil tantoperè repugnat doctrinæ Quenelli, quàm iſthæc Theologia; cùm enim ex propriis ejus verbis (a) *nos non pertineamus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit;* item; cùm *animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit, nihil remaneat niſi peccatum, & peccati conſecutiones;* item; cùm juxta ipſum *ſine charitate nihil aliud eſſe poſſimus, niſi tenebræ, niſi aberratio & niſi peccatum;*

(a) Propoſ. 8. 1. 48. 57. 58.

tandem

tandem cùm *totum deſit peccatori, ſi deſit amor Dei; cùm nec Deus ſit nec Religio, ubi non eſt charitas*; conſequenter etiam prætendit, peccatores, omni virtute per peccatum ſpoliatos, nullum prorsùs intrinſecum influxum à Chriſto recipere; non pertinere ad novum fœdus, non annumerari Chriſtianæ Religioni, id eſt, Eccleſiæ, in quâ, ſi etiamdum habitent, id fieri duntaxat extrinſecùs, ſecundùm Corpus non animam, ſecundùm externum non internum Eccleſiæ: quamobrem his principiis eorúmque ſequelis inde emergentibus propiùs conſideratis, haud ægrè dijudicatur, Quenelli doctrinam reipsà non differre à doctrinâ & principiis hæreticorum penultimi ſæculi; utpote qui conſtanter volebant, peccatores non eſſe ex gremio veræ & interioris Eccleſiæ, ſed ſolummodò exterioris & impropriè dictæ.

§. II.

Conformitas Propoſitionum damnatarum cum doctrinâ hæreticorum.

Calv. in 1. *Cor. Cap.* 1. His duobus epithetis Apoſtolus declarat, quales ſint illi, qui annumerandi ſunt veris Eccleſiæ membris, & qui propriè pertinent ad ejus communionem. Si enim te non exhibeas Chriſtianum per ſanctitatem tuæ vitæ, poteris quidem eſſe abſconſus in Eccleſia, *non tamen idcircò eris de Eccleſia.* Illi igitur qui volunt annumerari populo Dei, *debent eſſe in Chriſto ſanctificati.*

Idem l. 4. *inſtit. Cap.* 1. §. 2. Ad cognoſcendos eos, qui ſunt de Eccleſia, *oportet attendere ad occultam Dei electionem*

&

& vocationem internam, ſolus quippe Deus novit, qui ſunt ejus, quos & tenet, ut dicit S. Paulus, ſub ſignaculo ſuo obcluſos, ne minùs gerant notas & ſigna, quibus diſtinguantur à reprobis. Verùm quia exiguus numerus & contemptibilis electorum abſconditus eſt in multitudine inſtar pauci tritici ſub ingenti acervo palearum, *idcircò ad ſolum Deum ſpectat cognoſcere Eccleſiam ſuam, cujus fundamentum eſt ſecreta electio.*

Brent. in Prologom. cont. Petrum à ſoto de Eccleſia Cath. Concedimus, quòd præſertim durante pace Eccleſiæ plures iniqui, plures hypocritæ, plures impœnitentes, qui oretenùs duntaxat profiitentur Chriſtum ejúſque Evangelium, non ſolùm ſint mixti cum verâ Eccleſiâ; ſed quòd etiam videantur primi in vero populo Dei, qui veraciter eſt Eccleſia Catholica. Sed quidquid ſit, ſemper verum manet & indubitatum, quòd ille qui non verè credit in Jeſum Chriſtum (intellige, peccator, qui juxta hos Sectarios amiſſâ charitate tantùm retinet fidem fictam) *non ſit verum membrum veræ Eccleſiæ Catholicæ*, quamvis in Eccleſia videatur ejus Monarcha eſſe.

Idem apol. Conf. Wittemb. de hor. Can. Scio multos eſſe vocatos, paucos verò electos, *nec omnis populus gerens nomen Chriſtiani eſt vera Eccleſia.*

Franc. Gom. Expl. 22. *cap. S. Math. p.* 84. Non ſolùm boni, id eſt veri fideles, ſed etiam mali, id eſt, hypocritæ & falſi fideles collecti ſunt per prædicationem in eâdem communione Chriſti & Eccleſiæ ..... unde venit, quòd omnes ex lege charitatis reputentur pro bonis & veris fideli-

bus, uſquedum abſconſa hypocriſis palam fiat, *ex quâ videbitur, malos non fuiſſe de Eccleſiâ*, ſed tantùm in Eccleſiâ.

Idem Expl. ep. ad Gal. c. 2. p. 494. Cùm Eccleſia ſimilis ſagenæ miſſæ in mare, de quâ loquitur S. Mathæus, congreget bonos & malos; nimirum electos, *vivam fidem* habentes, & reprobos, fidem mortuam habentes; inde fit, quòd hic terminus *Eccleſia* ſubinde ſignificet ſimul iſtam & illam congregationem, prout tunc, quando Apoſtoli ſcribebant ad diverſas Eccleſias. Aliis autem vicibus hic terminus ſignificat diſtinctè *ſolam congregationem electorum*, vivam fidem habentium: quod tunc fit, quando Eccleſiæ attribuuntur tales qualitates, quæ non niſi ſolis & veris fidelibus conveniunt: veluti cum Apoſtolus dicit, quòd Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ, & Conſervator corporis ejus.

Art. 8. Wiclef. Si Papa ſit reprobatus & malus, & conſequenter membrum diaboli, *tunc nullam habet poteſtatem in fideles*; niſi fortè ex Authoritate Cæſaris.

Art. 1. Joan. Huſſ. Una ſolùm eſt ſancta Eccleſia univerſalis, *quæ eſt cætus generalis omnium prædeſtinatorum.*

Art. 3. ejuſd. Reprobi non ſunt pars Eccleſiæ. Nulla enim ex ejus partibus finaliter perit; quia charitas prædeſtinationis, quæ eſt ejus vinculum, nunquam perit.

Art. 6. ejuſd. Eſt Articulus fidei, quòd detur Eccleſia, ſi ſumatur Eccleſia *pro cætu prædeſtinatorum, ſive ſecundùm præſentem juſtitiam ſint in gratiâ, ſive non ſint.*

§. III.

§. III.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitionibus damnatis oppoſita.

Ex Ratione.

NOn meliùs demonſtratur falſitas opinionis hæreticorum, dicentium, quòd ſoli juſti & prædeſtinati ſint de gremio Eccleſiæ, quàm oſtendendo ſequelas exoticas & monſtroſas, ex tali principio effluentes.

1. Sequeretur, cuncta eſſe incerta in Eccleſiâ, neminem poſſe agnoſcere fratres ſuos, paſtorem neſcire ſuas oves, nec oves ſcire, quis ſit paſtor. Quis enim novit, aut cui revelatum eſt, qui ſint juſti aut prædeſtinati?

2. Sequeretur, penitùs ignorari, quæ ſit vera Chriſti Eccleſia, & per conſequens, quæ ſint veræ Scripturæ, quæ ſint vera Sacramenta, vera fides: etenim hoc totum pendet à teſtimonio veræ Eccleſiæ.

3. Sequeretur, quòd Prælatus Eccleſiæ deprehenſus in gravi delicto nullam in ſubditos jurisdictionem retineat; quòd fideles non ampliùs tenerentur illi obedire, cùm non niſi prælatis, qui ſunt de Eccleſiâ, obedientiam debeant.

4. Sequeretur, Sacramenta Baptiſmatis & pœnitentiæ fore inutilia in Eccleſiâ: ſi enim prædeſtinati actualiter infideles jam ſint de Eccleſiâ, non indigent Baptiſmo, ut per eum intrent in ipſam eandem Eccleſiam: pariter, ſi peccatores exeant ab Eccleſia per peccatum, non poſ-

ſunt ad eam reverti, nec eam ingredi per Sacramentum pœnitentiæ, cùm non poſſit adminiſtrari niſi illis, qui ſunt actu in Eccleſiâ.

Tandem, ſi omnes & ſoli prædeſtinati ſunt in Eccleſiâ, ſequitur, Turcas, Ethnicos & Infideles, deinceps & tractu temporum ad fidem convertendos, eſſe actu viva Chriſti membra, quamvis exiſtant ſine fide, ſine ſpe, ſine charitate: Econtra reprobos, tametſi actu ornati eſſent his virtutibus, non eſſe viva Chriſti membra.

Hæ ſunt, breviter loquendo, erroneæ conſecutiones, quas Catholici ſemper & conſtanter opponebant hæreticis, quæque meritò poſſunt opponi Quenello propter amicabile vinculum inter ejus & hæreticorum doctrinas atque principia.

Ex Scripturâ.

Math. 13. 47. Simile eſt regnum Cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & *ex omni genere piſcium* congreganti.

Ibid. 22. 9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſquos inveneritis, vocate ad nuptias: Et egreſſi ſervi ejus in vias congregaverunt omnes, quos invenerunt, *malos & bonos*... Intravit autem rex, ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem *non veſtitum veſte nuptiali.*

1. *Cor.* 5. 1. Omninò auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes; ita ut uxorem Patris ſui aliquis habeat. Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis; ut tollatur *de medio veſtrî*, qui hoc opus fecit.

Reſt.

Reſp. Si Apoſtolus voluit ut abſcindatur ab Eccleſia inceſtuoſus; ergò erat de Eccleſia, priuſquàm abſcinderetur.

Theſſal. 3. 11. Audivimus *inter vos* quoſdam ambulare *inquietè*.

Ibid. v. 14. Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, ut confundatur; Et nolite quaſi inimicum exiſtimare; ſed corripite *ut fratrem*. *Reſp.* Si peccatores ſunt Chriſtiani fratres noſtri, ergò ſunt de Eccleſia.

2. *Tim.* 2. 20. In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, *ſed & lignea & fictilia*: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.

Ex Patribus.

Conc. Trid. Seſſ. 6. *Can.* 28. Si quis dixerit.... eum, qui fidem ſine charitate habet, *non eſſe Chriſtianum*. Anathema ſit.

Ambr. in Apoc. c. 6. Quòd autem Noë juſſionem Domini ex omnibus animantibus mundis & immundis introduxit in Arcam, ſignificat, quòd *mali & boni in Eccleſiâ introducuntur*.... Per munda namque animalia electi, per immunda *reprobi* deſignantur.

Id. in Luc. l. 3. *c.* 5. Eccleſiam *de peccatoribus congregari* non puderet; cùm Dominus de peccatoribus naſceretur.

Chryſ. in pſalm. 39. Non ex perfectis univerſa conſtat Dei Eccleſia; *ſed habet eos etiam, qui otio & ſocordiæ ſe dedunt*, mollémque & diſſolutam vitam ampleƈtuntur, &

lubenter ſerviunt voluptatibus. Et quoniam eſt unum corpus, *tanquam ex una perſona, hæc & illa pronuntiat.*

Hier. Dial. adv. Lucif. Arca Noë Eccleſiæ typus.... Ut in illa omnium animalium genera, ita & in hac univerſarum & gentium *& morum* homines ſunt. Ut ibi Pardus & hædi, lupus & agni: ita & hîc juſti *& peccatores*; id eſt vaſa aurea & argentea *ligneis & fictilibus* commorantur.

Aug. in pſalm. 134. In Cælo & in Terra omnia, quæcunque voluit, fecit. Cælum enim æthereum ſpirituales accipio, terram carnales. *Ex his duobus*, tanquam Cælo & Terrâ, *conſtat Eccleſia Dei.*

Aug. in pſalm. 126. Una mater in viſceribus ſuis diſſentientes fratres nondum natos continebat: Pulſabant materna viſcera diſcordiis internis: Gemebat illa, vim patiebatur.... Sic & modò, fratres, quamdiu gemitus datus eſt Eccleſiæ, quamdiu parturit Eccleſia; *ipſi ſunt intùs & boni & mali. Reſp.* Eccleſia tanquam Rebecca eſt vera Mater bonorum & malorum, qui ſunt intùs in ejus ſinu.

Id. de don. perſev. c. 5. Etiam hoc Pelagiani audent dicere, hominem juſtum in hâc vitâ nullum habere omninò peccatum, & in talibus hominibus eſſe jam præſenti tempore Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; quæ una & ſola ſponſa ſit Chriſti: tanquam ſponſa ejus non ſit, quæ per orbem terrarum, quod ab eo didicit, dicit: *dimitte nobis debita noſtra.*

Id. in Pſalm. 47. Sunt quidam, de quibus dicit Apoſtolus: *habentes & formam pietatis, virtutem autem ejus ab-*

negantes. Tamen propter ipſam ſpeciem pietatis *& in populo Dei nominantur*, quo modo ad aream, quamdiu trituratur, non ſolùm grana, ſed etiam palea pertinet.

Id. infr. Sit lilium in medio ſpinarum; Nam & ipſæ ſpinæ, *quoniam ad populum Dei pertinent*, quid ſint, vis audire. Ita poſita eſt ipſa ſimilitudo: *Sicut lilium*, inquit, *in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum.* Nunquid dixit: in medio alienarum? non, ſed in medio filiarum. *Sunt ergo filiæ malæ*, & inter illas eſt lilium in medio ſpinarum: itaque illi, qui ſacramenta habent, *& mores bonos non habent*, *& Dei dicuntur*, & non Dei; *& ejus dicuntur* & alieni. *Ejus* propter ipſius ſacramentum, alieni propter proprium vitium. Ita ſpinæ & filiæ ſunt & alienæ. Filiæ *propter formam pietatis*, alienæ propter amiſſionem virtutis.

Id ep. 243. *ad Lat.* Hæc Mater Eccleſia toto orbe diffuſa tam variis & multiplicibus errorum infeſtationibus agitatur, ut *abortivi jam filij ejus* adversùs eam infrenis armis belligerare non dubitent. *Ignavia etiam atque torpore* quorundam, *quos gremio continet*, *membra ſua frigeſcere* plurimis locis, & fovendis parvulis minùs idonea fieri dolet. Unde niſi per alios filios, Unde niſi per alia membra, quorum è numero es, juſtum & debitum poſcit auxilium?

Idem ep. 187. *ad Dard.* Nam quomodo eſt nunc non habens maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi? quæ vel in *omnibus ad eam pertinentibus* hominibus, qui jam ratione mentis utuntur & voluntatis arbitrio, mor-

mortaliſque corporis ſarcinam portant, vel certè, quòd *etiam ipſos contentioſos* neceſſe eſt fateri, in multis ſuis membris veraciter dicit: *dimitte nobis debita noſtra.*

Idem ſerm. 252. *in diebus Paſch.* Miſſa ſunt retia nec ad dexteram nec ad ſiniſtram: captura enim erant & bonos & malos. Si enim diceretur, ad dexteram, non ibi intelligerentur *mali*: Si diceretur, ad ſiniſtram, non ibi intelligerentur boni: Cùm autem *bonos & malos* habitura erant; miſſa ſunt retia, & ceperunt *iniquos & juſtos.*

Idem de Civit. Dei l. 1. *c.* 35. Meminerit ſanè in ipſis inimicis latere cives futuros.... Sicut ex illorum numero etiam Dei civitas habet ſecum, quamdiu peregrinatur in mundo, *connexos communione ſacramentorum*; *nec ſecum futuros in aterna ſorte ſanctorum*; qui partim in occulto, partim in aperto ſunt, qui etiam cum ipſis inimicis adverſùs Deum, cujus ſacramentum gerunt, murmurare non dubitant: modò Eccleſias nobiſcum replent.

Idem tract. 6. *in Joan.* Habebat ibi corvum, habebat & columbam: utrúmque hoc genus arca illa continebat. Et ſi arca figurabat Eccleſiam; videtis utique, quia neceſſe eſt, ut in iſto diluvio ſæculi *utrúmque genus* contineat Eccleſia, *& corvum & columbam.*

Idem in ep. Joan. tract. 61. Ac per hoc utrumque verum eſt, & ex nobis & non ex nobis.... *Secundum communionem Sacramentorum ex nobis*, ſecundùm ſuorum proprietatem criminum non ex nobis.

Idem

Id. de correp. & grat. c. 9. *Filijs ſuis quibusdam* Deus non dat iſtam perſeverantiam.... Nam iſti, cùm piè vivunt, dicuntur filii.... Quidam, qui *filij Dei* propter ſuſceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec ſunt tamen Dei &c. *Reſ.* Reprobi non habentes gratiam perſeverantiæ poſſunt igitur eſſe filii Dei, & per conſequens eſſe de Eccleſiâ.

Id. de doct. Chriſt. c. 32. Mox de illa parte, quâ malè permixta eſt, dicit: *Ipſi converſi ſunt retrò*, quamvis alii ſignificentur his verbis; Sed *quoniam nunc in uno ſunt*, tanquam de ipſis loquitur, de quibus loquebatur, non tamen ſemper in uno erunt. Ipſe eſt quippe ille ſervus commemoratus in Evangelio, cujus Dominus, cùm venerit, dividet eum, & partem ejus cum hypocritis ponet.

Greg l. 13. *mor. c.* 8. Nunc intra ſinum fidei multos *etiam reprobos* tenet Eccleſia.

Id. l. 31. *Mor. c.* 15. Quia à bonis malíſque hæc vita ducitur, nunc Eccleſia ex *utrorúmque* numero viſibiliter congregatur.

Id. in Evang. l. 2. *hom.* 38. Per has regis nuptias præſens Eccleſia deſignatur, in qua cum bonis *& mali* conveniunt. Permixta quippe eſt *diverſitate filiorum*, quia ſic omnes ad fidem generat, ut tamen eos per immutationem vitæ ad libertatem ſpiritualis gratiæ, culpis exigentibus, non perducat.

Ibid. l 8. *c.* 10. Dicat ergò ſancta Eccleſia unius membri ſui vocibus: dicat, quid de utroque genere tolerat: *Induta eſt caro mea putredine & ſordibus pulveris*: Ac ſi apertè inſi-

inſinuet, dicens: *ſunt plerique, qui mihi per fidem membra ſunt, ſed tamen ſana vel munda non ſunt*..... In illis enim, quos lubricos tolero, carnem videlicet putreſcentem gemo: in iſtis autem, quos terram quærentes patior, quid aliud, quàm fædatos pulvere porto?

Ibid. l. 27. c. 12. In ipſâ quoque ſanctâ Eccleſiâ plurimi fidem tenent, & vitam fidei non tenent.

Bern. ſerm. 25. in Cant. Hæc igitur ratio, cur Sponſa *filias Jeruſalem* dicat eas ipſas, quas malevolas ſuſtinet atque maledicas: Videlicet, ut blando ſermone delineat murmurantes, commotionem ſedet, ſanet livorem.... Aliàs verò *filiæ reverà Jeruſalem quodammodò ſunt*, quæ hujusmodi ſunt: *nec falsò ſe ita nominat Sponſa*; ſive enim per Sacramenta Eccleſiæ, quæ indifferenter quidem cum bonis recipiunt, ſive propter fidei æquè communem confeſſionem, ſive ob fidelium corporalem ſaltem ſocietatem, ſive etiam propter ſpem futuræ ſalutis, à quâ omninò non ſunt, quamdiu hîc vivunt, vel tales deſperandæ, quantumlibet vivant deſperatè, non incongruè filiæ Jeruſalem nominantur.

Guerr. Abb. ſerm. 3. de Annunt. Gravida eſt, fratres, Eccleſia, non ſicut Maria ſolo Jeſu; *ſed ſicut Rebecca Jacob & Eſau*: non ſolùm ſcilicet bonis & modeſtis, ſed etiam *diſcolis & indiſciplinatis*: quos tamen & ipſos propter nomen Jeſu, vel forſitan aliquod initium ſubſtantiæ ejus, *Eccleſia viſcera ſuſcipiunt, & amplectuntur.*

D. Thom. p. 3. q. 8. a. 3. ad 2. Qui verò his ſubduntur peccatis, non ſunt membra Chriſti actualiter, ſed potentiali-

tialiter; niſi fortè imperfectè per fidem informem, quæ *unit Chriſto ſecundùm quid*, & non ſimpliciter; ut ſcilicet per Chriſtum homo conſequatur vitam gratiæ: *Fides enim ſine operibus mortua eſt*: inquit Apoſtolus Jacobus c. 2. *Percipiunt tamen tales à Chriſto quendam actum vitæ, qui eſt credere*: ſicut ſi membrum mortificatum moveatur ab homine.

Bonav. ſerm. 3. in Dom. Palmarum. Corvus autem & columba animas ſignificant Chriſtianorum, *in arcâ Eccleſiæ per fidem exiſtentium*; ſed corvus animam cujuslibet peccatoris ſignificat: Columba autem animam juſti ſignificat.

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Object.* SCriptura dicit, quòd illi, qui exierunt ab Eccleſiâ, non fuerint de Eccleſiâ; ſi enim fuiſſent de gremio Eccleſiæ, permanſiſſent in Eccleſiâ: Unde concludunt Patres, quòd reprobi non ſint de Eccleſiâ, & quòd componatur ex ſolis electis.

Reſp. Advertendum, poſſe aliquem duobus modis nominari & eſſe filium Dei, ac membrum Chriſti; videlicet ſecundùm *veritatem eſſentiæ*; & ſecundùm *veritatem finis*. Eſſentia filiationis Dei eſt Spiritus ſanctus, actualiter Chriſtianum vivificans, eúmque reddens filium Dei & membrum Chriſti. Finis filiationis Dei eſt hæreditas cæleſtis, promiſſa filiis Dei. Itaque poteſt homo eſſe filius Dei & membrum myſtici corporis Chriſti *ſecundùm veritatem eſſentiæ*, quandò animatus & vivificatus eſt per baptiſmum à Spiritu ſancto: Et tamen poteſt non eſſe filius Dei

& membrum myſtici corporis Chriſti ſecundùm *veritatem finis*, quippe quòd reprobatus nunquam ſit poſſeſſurus cæleſtem hæreditatem. Econtra poteſt homo eſſe filius Dei & membrum Chriſti ſecundùm *veritatem finis*, ſi ſit ex prædeſtinatis, etiamſi necdum ſit membrum Chriſti ſecundùm veritatem eſſentiæ, eò quòd necdum baptiſmum & Spiritum ſanctum receperit. Eapropter cùm Scripturæ & Patres dicunt, juſtos, qui non ſunt ex prædeſtinatis, non eſſe verè filios Dei & membra Chriſti, loquuntur de filiatione ſecundùm finem ipſiuſmet filiationis Dei, non autem ſecundùm eſſentiam dictæ filiationis.

2. *Object.* Non poteſt Eccleſiam habere Matrem, qui noluerit Deum habere Patrem : atqui ſecundùm omnes SS. Patres peccatores Deum non habent Patrem, ergò Eccleſiam non habent Matrem, & per conſequens non ſunt ex gremio Eccleſiæ. (*a*)

Reſp. Nomen *filius* tribus modis ſumitur in ſcripturis juxta Auguſtinum. 1. poteſt quis eſſe filius per productionem, ſive iſthæc productio ſit vera generatio, ſive ſit nova creatio, ſive tandem ſit regeneratio, vel nova ſpiritualis nativitas. Chriſtus eſt filius Dei per veram generationem; Omnes homines ſunt filii Dei per creationem ; & omnes juſti per regenerationem ſpiritualem. 2. poteſt quis eſſe filius per imitationem , in quo ſenſu Apoſtolus dicit, eos, qui imitantur fidem Abrahæ, eſſe filios Abrahæ ; eos verò, qui imitantur malitiam diaboli, eſſe filios Diaboli. 3. Poteſt quis eſſe filius alterius propter doctrinam & inſtitutionem ab altero re-

(*a*) D. Aug. l. cont, Adam c. 5.

ceptam, in quo ſenſu Apoſtolus fideles ſæpius vocat filios ſuos, quòd ipſis Evangelizaverit: *Filioli, quos ego parturio &c.* His poſitis, laborioſum non eſt comprehendere, in quo ſenſu peccatores ſint vel non ſint filii Dei & Eccleſiæ. Utique tales non ſunt in primo & ſecundo ſenſu: benè autem in tertio, quando nimirum tametſi peccatores retinent adhuc veram fidem, ac veram doctrinam Eccleſiæ.

3. *Object.* Scripturæ teſtantur, Eccleſiam Chriſti fore glorioſam, ſine rugâ, ſine maculâ; ex quo inferunt SS. Patres, quòd peccatores & coinquinati non poſſint dici membra, aut ſubditi Chriſti & Eccleſiæ.

Reſp. Quamvis Patres & Doctores Eccleſiæ nunquam agnoverint niſi unicam ſolam Eccleſiam in diverſis ſtatibus, attamen diſtinxerunt Eccleſiam in plures partes magis vel minùs perfectas. Itaque SS. Patres loquentes de Eccleſia ſine maculâ, ſine inquinamento peccatorum, intelligunt illam Eccleſiæ partem ſive exteriorem ſive interiorem, quæ ſolos juſtos vel ſolos perfectos complectitur.

4. *object.* Secundùm omnes Patres in hoc mundo diſtinguendum eſt regnum Chriſti à regno Diaboli; ergò ſoli juſti continentur in regno Chriſti, quod eſt Eccleſia.

Reſp. Licèt regnum Chriſti ſit diſtinctum à regno Diaboli, nihilominus poſſunt iidem homines ſpectare ad utrumque regnum: Peccatores enim, ſervantes fidem Catholicam & unionem exteriorem cum cæteris fideli-

bus, pertinent ad regnum Chriſti propter profeſſionem ejusdem fidei ; & tamen etiam ſpectant ad regnum Diaboli propter mores perverſos & mala opera.

5. *Object.* S. Auguſtinus expreſſè dicit & docet, quòd illi, qui damnati ſunt à Chriſto propter malam & corruptam eorum conſcientiam, quamvis id ignoret Eccleſia, non exiſtant in corpore Chriſti, quod eſt ipſa Eccleſia, eò quòd Chriſtus habere nequeat membra damnata.

Reſp. Poſt tot ſupra citatos textus S. Auguſtini in teſtimonium veritatis Catholicæ, propoſitionibus damnatis oppoſitæ, ſecurâ perſuaſione tenendum eſt, S. Doctorem nihil aliud intellexiſſe, quàm peccatores non eſſe membra corporis Chriſti eo modo, quo juſti; id eſt, quòd non ſint membra viventia ſed mortua Eccleſiæ Chriſti : vel quòd non ſint membra illius partis Eccleſiæ, quam Spiritus charitatis animat & vivificat, quæque componitur ex ſolis juſtis atque perfectis.

§. V.

Qualificatio propoſitionum damnatarum.

SEx priores propoſitiones, qualiter extant enuntiatæ in reflexionibus Quenelli, ſunt perquàm *ſuſpectæ de hæreſi*; ſunt enim loquelæ & ſermones ordinarii hæreticorum, qui, dum agunt de Eccleſiâ, non aliis eam depingunt coloribus, nec alias de eâ formant ideas, quàm Quenellus in iſtis ſex propoſitionibus.

Deinde ſi attendatur, quàm affectet excludere peccatores à definitione Eccleſiæ etiam tunc, cùm ſatagit Eccleſiæ

Eccleſiæ

cleſiæ extenſionem deſcribere, utique violentæ ſuſpicionis anſam obtrudit, cujus farinæ ſit, neque talis ſuſpicio naſceretur duntaxat de Authore, cujus fidei puritas jam pleriſque ambigua eſt, ſed etiam de quocunque alio. Quantùm ad propoſitionem LXXVIII. non videtur eam ab *hæreſi formali* poſſe excuſari, aut expurgari, eò quòd vix formalioribus terminis declarari valeat, peccatores non eſſe in Eccleſiæ gremio.

§ VI.

Alij Errores incluſi in propoſitione LXXV.

QUenellus hâc propoſitione pandit conceptum prorſus extraordinarium de unitate Eccleſiæ. Dicit, Eccleſiam eſſe unum ſolum hominem, compoſitum ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, ſubſiſtentia & perſona; Si Chriſtus eſt ſubſiſtentia & perſona hominum, Eccleſiam conſtituentium, ſequitur homines iſtos non ſubſiſtere ex ſeipſis; ſi non ſubſiſtunt ex ſeipſis, utique non ſunt perſonæ ſingulares & individuæ: adeoque, quod fides docet, falſum erit, videlicet Eccleſiam componi ex pluribus perſonis particularibus moraliter unitis cum Chriſto per Spiritum ſanctum. Imò ſi Chriſtus eſt ſubſiſtentia & Perſona hominum Eccleſiam conſtituentium, homines erunt verè filii Dei, quòd in hac ſuppoſitione ſubſiſterent per ſubſiſtentiam & Perſonam Chriſti, quæ eſt ipſa Perſona Verbi. Qualis abſurditas!

Conceditur Authori ſex Columnarum, ſanctos Patres ad exprimendam Eccleſiæ unitatem aliquando docere, hanc

Digitized by Google

hanc Eccleſiam non eſſe niſi unicum ſolum hominem, compoſitum ex multis membris, ſolum & unicum Corpus Chriſti; ampliùs loquitur S. Gregorius, (*a*) ſuperaddendo, Chriſtum cum totâ ſuâ Eccleſiâ eſſe unam perſonam. Verùm SS. Patres hæc aſſerentes in eiſdem locis ſeſe explicant, dicendo, hunc hominem eſſe diffuſum per totum terrarum orbem, per univerſum mundum; hanc perſonam eſſe in Cælis & ſuper terram; quo clarè notatur, eos loqui de unione morali & myſticâ: Cùm écontra, dicendo ſimpliciter, Chriſtum eſſe ſubſiſtentiam & Perſonam etiam eorum, qui conſtituunt Eccleſiam, prout exaggerat Quenellus, denotetur unio phyſica & ſubſtantialis, qualis reperitur inter corpus & animam, quæ invicem unam & eandem perſonam realiter & phyſicè conſtituunt.

Igitur poſthàc nemo miretur, ſi Quenellus alibi aſſerat; (*b*) *nos gratiam non recipere, niſi in Perſonâ Chriſti.* Quippe cùm penes ipſum Chriſtus ſit propria noſtra perſona, nónne ſequitur neceſſariò, gratiam recipi debere in Perſonâ Chriſti, eò quòd iſthæc gratia, utpote inhærens & intrinſeca, non valeat recipi niſi in propriâ noſtrâ perſonâ? Unde patet, quàm mirè ſibi ſimilis hoc loco Quenellus appareat, non ſolùm in ſuis principiis, ſed & in ſuis expreſſionibus.

Attentâ Reflexione mox factâ etiam minùs oculati vident, hic exenteratam propoſitionem ſpecialiter mereri qualificationem *malè ſonantis*; quòd repræſentet intel-

(*a*) in pſalm. pænit 5. n. 1.

(*b*) Propoſ. XXXVI.

Digitized by Google

lectui conceptus exoticos, atque Ideas inſipidas, & quòd concepta ſit terminis impropriis prorſus inuſitatis inter Scholaſticos Orthodoxos.

PROPOSITIO LXXIX.

UTile & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere Spiritum, pietatem & myſteria ſacræ Scripturæ.

PROPOSITIO LXXX.

LEctio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.

PROPOSITIO LXXXI.

OBſcuritas ſancta Verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſeipſos ab ejus lectione.

PROPOSITIO LXXXII.

DIes dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt, velle Chriſtianum ab hâc lectione retrahere.

PROPOSITIO LXXXIII.

EST illuſio ſibi perſuadere, quòd notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fæminis lectione Sacrorum librorum. Non ex fæminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperbâ virorum ſcientiâ ortus eſt ſcripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.

Digitized by Google

PROPOSITIO LXXXIV.

ABripere è Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

PROPOSITIO LXXXV.

INterdicere Chriſtianis lectionem ſacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis.

§. I.

Senſus Naturalis Propoſitionum.

VTile & *indiſpenſabiliter* neceſſarium eſt omni tempore, omni loco & omni Perſonarum generi, *non attentis diſpoſitionibus & circumſtantijs temporum, locorum, perſonarum*, ſtudere, *immediatè legere & intelligere* ſpiritum, pietatem & myſteria ſacræ Scripturæ.

Immediata Lectio Scripturæ eſt *neceſſaria* pro omnibus *fidelibus, cujuſcunque ſint conditionis aut diſpoſitionis.*

Obſcuritas ſancta Verbi Dei non eſt Laicis *ſufficiens* ratio diſpenſandi ſeipſos ab ejus lectione, *ad quam ſtrictâ obligatione tenentur fideles, neque ſuperiores pollent eâ Authoritate, ut ex hâc ratione poſſint diſpenſare in tam gravi obligatione.*

Dies Dominicus debet *ſub præcepto* ſanctificari *ab omnibus Chriſtianis* legendo libros pietatis, præſertim ſanctarum Scripturarum, *quas ſcrutari omnes tenentur*; Damno-

ſum

ſum eſt, quòd Eccleſia ſuis interdictis & limitationibus velit Chriſtianum ab hâc lectione retrahere, *cùm eam teneatur omnibus indiſcriminatim concedere.*

Eſt illuſio *Paſtorum & Prælatorum Eccleſiæ*, ſibi perſuadentium, quòd notitia Myſteriorum *quorundam* Religionis, *præſertim de prædeſtinatione & gratiâ inimpedibili*, non debeat communicari fæminis *immediatâ* lectione ſacrorum librorum. Non ex fæminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperbâ Virorum ſcientiâ ortus eſt ſcripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes; *hinc immediata Bibliorum lectio ne quidem ſimpliciſſimis fæminis eſt interdicenda.*

Abripere è Chriſtianorum *quorumcunque* manibus novum Teſtamentum, ſeu eis *quibuſcunque* illud clauſum tenere, aufferendo eis modum illud intelligendi, *qui modus neceſſariò eſt immediata lectio*, eſt illis Chriſti os obturare.

Interdicere Chriſtianis *quibuſcunque* lectionem *immediatam* ſacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, *prout eam interdicit Concilium Tridentinum & poteſtas Eccleſiaſtica*, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis, *quam defacto plerique patiuntur fideles.*

Nullibi Author Hexaplarum majore procedit fiduciâ, quàm circa lectionem ſacræ Scripturæ. Indubitanter ex eâ ratione anticipat propoſitiones, hanc materiam concernentes, everſóque ordine præponit cæteris per Conſtitutionem proſcriptis, quòd autumaverit, has præ illis juſtificationem mereri, earum apologiam faciliùs &

Y 2 feli-

feliciùs ſucceſſuram, ſicque conatur promereri Lecto-rem Benevolum in exordio, ut deinceps & ubique faventem habeat, etiam cùm debilis & vacillans nonnunquam incedit per decurſum ſui operis. Intereà veritatem amanti fatendum eſt, Hexapliſtæ Apologiam in nullis vel paucis propoſitionibus infauſtiùs ſucceſſiſſe; Apologiſtam nullibi pejùs patrocinatum eſſe cauſæ Quenelli.

Quod, ut citiùs pateat, confeſtim explicanda eſt mens & intentio Eccleſiæ circa lectionem ſacræ Scripturæ.

Omnes Catholici firmiter tenent, Scripturam ſacram eſſe librum librorum, nullam lectionem ita Sanctam, ita utilem eſſe in ſeipsâ, omnes fideles per ſe invitari & admitti ad hanc lectionem ſine diſtinctione ætatis, ſexûs & conditionis, eam non ſolùm concedendam, ſed & ſuadendam, inculcandam, quantùm fieri poteſt, cùm nulla ſit lectio regulariter loquendo, ex quâ majora hauriri valeant emolumenta ad profectum ſpiritualem; adeò ut ſit mendacium enorme hæreticorum, Eccleſiam Romanam effronter accuſantium, quaſi interdiceret fidelibus lectionem Sacri Codicis, cùm contrarium pateat ex indice librorum prohibitorum, Authoritate Concilii Tridentini conſtructo, ac Publicato per Pium IV., qui Pontifex permittit lectionem Bibliorum omnibus illis, qui ſufficienter diſpoſiti judicantur ad colligendos exinde fructus ſalutis. Verùm hoc principio poſito, nimirùm quòd generaliter conceſſum ac utiliſſimum ſit cunctis fidelibus legere divinas paginas: Doctores Catholici præ-

ſcri-

ſcribunt regulas præcavendis ſequelis pernicioſis, ex tali principio inconſultè uſurpato faciliter oriundis.

1. Docent, quòd lectio Scripturæ, quantúmcunque utilis ex ſeipsâ, nihilominùs non ſit neceſſaria ulli fideli cujuslibet characteris; cùm nullus exiſtat, qui non poſſit per alia media quàm per lectionem ſacræ Scripturæ & ſcire, & diſcere ea, quæ tenetur ſervare ac credere ad conſequendam vitam æternam: talia media ſunt Cathechiſmi, exhortationes, inſtitutiones, Conciones Paſtorum, quas obligantur fideles aſſiduè audire cum omni pietate & ſubjectione.

2. Docent, quòd, ſicut nulla datur lectio tam utilis, tam proficua ac lectio S. Scripturæ, quando nimirùm cum eâ concurrunt requiſitæ diſpoſitiones, ita nulla detur adeò funeſta & pernicioſa, quando fit ſine requiſitis diſpoſitionibus; & quòd idcircò teneantur in conſcientiâ Paſtores ſuarum ovium, & Confeſſarii ſuorum pœnitentium diſpoſitiones altâ mente diſcutere, háncque lectionem interdicere omnibus illis, qui vel ex perverſo genio, vel ex immaturo intellectu hoc nutrimentum cæleſte ſibi vertere poſſent in venenum & infectionem, aut inde exponerentur periculo naufragandi in fide.

3. Docent, quòd, licèt lectio omnium librorum ſacræ Scripturæ indiſpoſitis poſſit accidere pernicioſa, nihilominùs nonnulli ſint libri particulares, qui vel ex toto vel ex parte infirmis Spiritu magis nocent, quàm cæteri. Tales ſunt, verbi gratiâ, plures loci in Pentateucho, in Canticis Canticorum &c. Unde inferunt Doctores,

propiùs attendendas eſſe diſpoſitiones ſubditorum, cùm agitur de dandâ licentiâ legendi ſimiles libros.

4. Docent, Eccleſiam ex juſtis cauſis poſſe legitimè prohibere fidelibus lectionem ſacræ Scripturæ absque ſpeciali conceſſione Superiorum Eccleſiaſticorum; præſertim ſi attendantur certæ circumſtantiæ locorum, temporum, perſonarum, ſi inſtent tempora periculoſa, famoſa erroribus, ſeductionibus, illuſionibus, in quibus abuſus talis lectionis faciliùs contingere aſſolet. His poſitis.

Laborioſum non eſt deprehendere latens virus in propoſitionibus Quenelli circa ſacram Scripturam. Non hîc reprehenditur Quenellus, ut falsò præſumit ejus Apologiſta, quòd dixerit, Lectionem ſacræ Scripturæ eſſe valdè utilem in ſeipsâ, eámque generaliter licitam eſſe univerſis fidelibus; ſed reprehenditur, quòd in ſuis propoſitionibus ſúsque déque verterit has quatuor regulas, tam juſtè & providè à Doctoribus Catholicis præſcriptas. Nónne Quenellus reverà infringit primam regulam, dicendo: non ſolùm utile *ſed neceſſarium eſſe omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere..... myſteria ſacræ Scripturæ; obſcuritatem ejus non eſſe Laicis rationem diſpenſandi ſeipſos ab ejus lectione?* tantoperè arbitratur hanc obligationem indiſpenſabilem & eſſentialem: Nónne deſtruit ſecundam & tertiam regulam, quando prætendit, concedendam eſſe lectionem Scripturarum indiſcriminatim *omnibus, cujuscunque ſint notæ* aut characteris, nequidem exceptis indevotis & diſcolis? Item quan-

quando adjungit; *damnoſum eſſe, velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere; illuſionem eſſe, talem lectionem recuſare fœminis* etiam ſimpliciſſimis, & conſequenter illuſioni & abuſui maximè expoſitis; nónne tandem quartam evertit regulam, aſſerendo, *neceſſarium eſſe omni tempore, omni loco, omni perſonarum generi legere ſacram Scripturam; abripere è Chriſtianorum manibus novum teſtamentum, eſſe obturare os Chriſti, eſſe interdicere uſum luminis filijs lucis, ac facere, ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis*; quid apertiùs, quid explicatiùs dici queat ad probandum, nullam penès Eccleſiam eſſe poteſtatem prohibendi ſuis filiis hanc lectionem? Quomodò Eccleſia legitimè poterit interdicere fidelibus, quod ipſis ad ſalutem indiſpenſabiliter eſt neceſſarium? habétne Eccleſia jus obturandi os Chriſti? auferendi lumen filiis lucis, ſine quo tenebræ ſunt & lubricum? ſine quo impoſſibile eſt benè vivere, ſine quo neceſſariò ambulant in umbrâ mortis? quid enim verò patentiùs nos convincet, Quenellum reverà voluiſſe Eccleſiam privare hâc poteſtate, quàm comparatio illa, quâ utitur Author Hexaplarum ad præſens propoſitum, utpote qui ſine dubio eſt alter ipſemet Quenellus? „ Quis non videt, inquit hic Author, (*a*) eſſe „ idem ac ſi diceretur: cùm ingens Chriſtianorum mul- „ titudo ſit peſſimè diſpoſita ad dignam Sacramentorum „ ſuſceptionem, conſultum foret, ſancire interdictum, „ vi cujus, exceptis qui in ſacris ordinibus ſerviunt alta- „ ri, arcerentur omnes cæteri ab altari, nec ad Sacra- „ men-

(a) pag. 7. col. 4.

„ menta admitterentur niſi ſemel in anno, ad præcaven-
„ dum tot ſacrilegiis: Quid reſpondendum foret propo-
„ ſitioni tam irrationabili? nónne dicendum, quòd loco
„ hujuſmodi prohibitionis, quæ, utpote generalis, injuſta
„ foret, ac Spiritui Eccleſiæ penitùs adverſa, remeden-
„ dum ſit cauſæ & radici talis prætextûs, navando ope-
„ ram, ut Chriſtiani malè diſpoſiti retrahantur ex malig-
„ no ſtatu ſuæ converſationis; & quòd interim ſufficiat,
„ ſi excludantur à participatione Sacramentorum ſolum-
„ modò illi, quos in particulari quis indignos judicave-
„ rit, relinquendo reliquos, quorum indignitas eſt ab-
„ ſconſa, quamvis non ſine gemitu & dolore cordis, in
„ ſacrilegâ profanatione; quòd hoc magis expediat, quàm
„ ſi per præcautiones ſiniſtrè intellectas etiam digni frau-
„ darentur Sacramentis, qui ex impulſu humilitatis nol-
„ lent excipi à regulâ generali. „

Quid eruendum cenſes ex hoc diſcurſu fallaci? duo, quæ à cæcis palpantur, meridie clariora. 1. Quòd Quenellus ejúsque Apologiſta ſint perſuaſi, lectionem Scripturarum æquè nec minùs eſſe neceſſariam Chriſtianis, quàm ipſemet uſus Sacramentorum. 2. Quòd ſicut Eccleſia non poteſt omnibus, qui non ſunt in ſacris conſtituti, interdicere generaliter, ne ſæpiùs quàm ſemel in anno accedant ad Sacramenta recipienda, ſic néque poſſit ex ullâ ratione generaliter prohibere cunctis fidelibus, legere ſacras Scripturas ſine licentiâ; quòd talis præcautio foret præcautio malè *intellecta, irrationalis, injuſta & penitùs adverſa Spiritui Eccleſiæ.* En quomodò intentetur

lis

lis & proceſſus omnibus Eccleſiis, in quibus vigent ejuſmodi uſitatæ prohibitiones! En quomodò feratur ſententia definitiva, ac condemnentur regulæ in Indice Concilii Tridentini ſtabilitæ, ne indifferenter omnibus fidelibus lectio ſacræ Scripturæ liceat. Nequaquàm; non hîc ſimpliciter ab Apologiſtâ dicitur, quòd, tametſi hæ regulæ ſint in ſeipſis valdè venerabiles, non tamen ſint receptæ in Galliis, & quòd non omnem, quam potuiſſent habere, authoritatem adeptæ ſint, eò quòd ſint contrariæ Gallorum uſibus; non ſic: ſed hâc comparatione dicitur rectâ & ſine circulo, has regulas eſſe *malè intellectas, irrationabiles, injuſtas, & penitùs adverſas Spiritui Eccleſiæ.* Romano-Catholicus non ſic loquitur. Natus in Eccleſiâ particulari privilegiatâ ſecundùm uſus quoſdam, aliis Eccleſiis contrarios, ſe quidem hiſce libertatibus devovet, paratus eas propugnare ſemper & ubique, non tamen temerè audet in alias Eccleſias, damnando earum uſus & ordinationes: loco inſimulandi aut judicandi regulas tanquàm malè intellectas, irrationales, injuſtas, Spiritui Eccleſiæ adverſas, potiùs de iis ſentit & loquitur cum Veneratione, legitimis Paſtoribus debitâ, præſertim ſummis Pontificibus.

Non hic eſt genius Quenello, ejúſque armigero. Cùm ſint tam mali Romano-Catholici ac ſunt pſeudo-Galli, ut inf a videbimus, idcircò de uſibus & regulis hujus primæ & primævæ Eccleſiæ ac Matris omnium Eccleſiarum non niſi cum deſpectu & contumeliâ differunt; prætexentes, eam ſine injuſtitiâ, id eſt, ſine ſpecie Ty-

rannidis haud potuiſſe generalem ſancire prohibitionem, legendi ſacras litteras abſque licentiâ. Hic habes ſenſum erroneum, propoſitionibus Quenellinis involutum.

Signum palpabile hujus erronei ſenſûs eſt, quòd Apologiſta non attentet deſuper expurgare Clientem ſuum: ,, ait enim; (a) " Senſus extraneus, qui poſſet attribui ,, his propoſitionibus, eſſet, 1. Quòd ita nudæ & incir- ,, cumſcriptæ appareant, quaſi nemo poſſit abuti ſacris ,, paginis. 2. Quòd excludant omnem diſpoſitionem ,, aut præparationem ad lectionem. 3. Quòd videantur ,, introducere dogma damnoſum Calviniſtarum, volen- ,, tium, poſſe ex proprio lumine & intellectu haberi in- ,, telligentiam & penetrationem ſenſûs ſcripturalis:" hi ſunt ſoli & unici ſenſus perverſi & extranei juxta Hexapliſtam, qui poſſent affingi propoſitionibus Quenellinis: ergò penes Hexapliſtam non eſt ſenſus perverſus, nec propoſitionibus Quenellinis extraneus, dicendo & ſentiendo, neceſſarium eſſe omni tempore, omni loco, omni perſonarum generi, id eſt, ne quidem exceptis rudibus, vagis & inconſtantibus in fide, legere, ſtudere, ſcrutari ſacram Scripturam; Eccleſiaſticos Superiores ſine notâ injuſtitiæ haud poſſe ex juſtis cauſis fidelibus hanc lectionem interdicere: hæc patent præcluſâ omni exceptione, nec patiuntur minimam contradictionem.

Deinde quis neſcit, nequidem unicum reperiri ex omnibus hæreticis, laxatâ inſaniâ furentibus contra regulas Indicis Concilii Tridentini, qui non æquè ac Quenellus docuerit, poſſe fieri abuſus in legendis & intelligendis ſacris litteris, adhibendas eſſe quaſdam præpara-

(a) pag. 5 col. 2.

tiones, ut lectio cum fructu ſuccedat, & tandem in interpretatione ſensûs ſcripturalis ſequenda non eſſe propria lumina. Inſignis quidam Author demonſtrat, Miniſtrum Chamierum hæc eadem principia æquè ſtatuiſſe ac Quenellus: operæ pretium eſt hoc loco oſtendere, quomodo Kemnitius ſummus & maximè exoticus Zelator lectionis ſcripturalis perfectè concordet cum cæteris, quoad præſens propoſitum.

„Certum eſt, inquit Kemnitius, (*a*) neminem de-„bere inniti propriæ prudentiæ in interpretandis ſacris „Scripturis, ne quidem in locis clariſſimis: dicit enim „S. Petrus expreſsè in ſuâ ſecundâ Epiſtolâ c. 1. quòd om-„nis prophetia ſcripturæ propriâ ſeu particulari inter-„pretatione non fiat, nec explicetur; quòd ii, qui cor-„rumpunt Dei verbum, dando ei ſenſum temerè fictum „& imaginarium, id faciant ad propriam perditionem: „bonus enim Lector Scripturæ eſt ille apud S. Hilarium, „qui Scripturæ non affert ſenſum, quem ſibi imaginatus „eſt, ſed qui ſenſum ſumit ex ipſis Scripturis; utimur uſ-„que adhuc cum reſpectu & veneratione laboribus Pa-„trum, qui ſuis commentariis explicaverunt plura loca „Scripturarum; & fatemur, nos non modicùm confir-„mari in vero ſenſu Scripturæ ex teſtimonio primiti-„væ Eccleſiæ: neque enim approbamus illos, qui „inventant ſenſum antiquitati contrarium, & cu-„jus nulla reperitur probatio in Eccleſiâ.“ Et paulò „inferiùs ſubjungit Kemnitius: „non ſolùm impen-„dendam eſſe ſolertem operam diſcendis ſacris paginis,

(*a*) Exam. Conc. Trid. de interp. S. Script. p. 58.

,, ſed & implorandum eſſe Dominum, ut dignetur nobis
,, aperire hunc librum obſignatum: Eſt enim ipſe, qui
,, aperit intellectus noſtros, ut videant & intelligant
,, ſcripturas.

Non patet, quid Quenellus plus dicat in ſuis reflexionibus: ergò concludendum, quòd non ſit magis excuſabilis quàm Kemnitius & omnes cæteri Sectarii, qui, poſtquàm inſtar Quenelli docuerunt, poſſe fieri abuſus in lectione Scripturarum, non tamen ceſſant inſtar ipſiusmet Quenelli docere, lectionem Scripturæ eſſe neceſſariam omni loco, omni tempore, omni perſonarum generi, cujuscunque ſint characteris; Eccleſiam non habere poteſtatem prohibendi talem lectionem in certis caſibus & circumſtantiis, absque Superiorum permiſſione.

§. II.

Conformitas Propoſitionum damnatarum cum doctrinâ hæreticorum.

Calv. in ep. 1. S. Petri. Quicunque aperiet oculos ex obedientiâ fidei, cognoſcet, quòd non ſine causâ S. Scripturæ detur nomen luminis. Quapropter eſt *blaſphemia execrabilis papiſtarum*, cùm dicunt, *Scripturam eſſe tantùm capacem ad excæcandos oculos*; ut ſic avertant *ſimplices*, ne eam legant.

Idem coment. in Iſai. c. 48. *v.* 17. Quòd ſi dicatur de lege, quòd Dominus per hanc legem utiliter docuerit populum ſuum; quid dicemus de Evangelio, in quo totum, quod nobis utile eſt, plenè edocetur? unde etiam videtur,

cur, *quàm execrabilis ſit blaſphemia papiſtarum*, dicentium, *lectionem ſacræ Scripturæ eſſe periculoſam & nocivam*, ut ſic *ſimplices* ab hâc lectione abſtrahant. Accuſabúntne de mendacio Dominum, qui nobis declarat per os Prophetæ, quòd ſit utilis? aut volúntne, ut plus fidei tribuatur ipſorum quàm Dei verbis?

Brent. conf. Wittemb. de Script. ſacrâ. Clarè oſtendi in Prologomenis, quòd Scriptura nobis divinitùs data ſit, non ſolùm ut poſteritati eſſet in teſtimonium divinorum oraculorum contra falſas hominum traditiones: ſed etiam, ut eſſet organum, *mediante quo Spiritus S. dona ſua infundit in corda noſtra....* Verùm Sotus, non capiens, vel malitioſè diſſimulans præcipuum hunc uſum Scripturæ, dicit, quòd ſecuriùs & utiliùs nos applicaremus orationi & exercitiis pietatis, quàm ſtudio & lectioni Scripturæ.... inſenſate parvule monache! putáſne Antonium & Paulum Eremitas habuiſſe in terris ita perfectam charitatem, ut non indiguerint uſu Scripturæ? vel potuiſſe in deſerto exiſtere verè pios, niſi cognoviſſent pietatem vel ex lectione legendo, vel ex lectione audiendo Scripturam?

Idem ibid. Retulimus iſtud ex Chryſoſtomo, ad oſtendendum, quòd mens piorum antiquorum virorum plurimùm differat à mente iſtorum parvulorum impiorum Monachorum. Hi enim nituntur perſuadere Epiſcopis & Doctoribus populi, ne aſſiduè legant Scripturam, illi écontra *ad hanc lectionem exhortantur & Laicos, & Idiotas, & Opifices & Fœminas etiam ſimpliciſſimas.* Parvuli iſti Monachi dicunt, lectionem ſacræ Scripturæ *non eſſe neceſſa-*

riam omnibus hominibus, ſed tantùm parvo numero; & Chryſoſtomus dicit, *eam eſſe neceſſariam omnibus &c.*

Kemnit. exam. Conc. Trid. 1. part. pag. 55. Profectò Deus non vult, ut ſua doctrina tantùm ſit cognita â viris latinis. Si ergò Deus juſſit, ut Doctrina novi teſtamenti detur & proponatur omnibus cujuſcunque generis nationibus, ita quidem, ut omnes eam poſſint intelligere, certè hoc fieri nequit, *ſi doctrina Scripturæ non transponatur in linguas, omnibus populis notas, quibus Chriſtus prædicatus eſt*.... Verùm non recordor, quòd fides Papiſtarum non ſit in Scriptura, eique ſit oppoſita. Poſſunt igitur docere Religionem ſuam abſque translatione Scripturæ in linguam vulgarem; ſed redeamus ad propoſitum. Quamvis admittant, ut docendo traducantur quædam ſententiæ ſcripturales in linguam vulgarem, nolunt tamen pati, ut ſic tota Scriptura ſcribendo traducatur. Quare iſtud? niſi quia volunt ſibi reſervare poteſtatem proponendi populo, quidquid lubet, qui populus deinde cæco modo tenetur credere, & de nihilo judicare. Jam hæc poteſtas non videretur tam magna & tam completa, ſi populus ipſemet poſſet Scripturam legere in linguâ ſibi notâ.

Propemodùm huic ſimillimum ratiocinium reperitur in Authore ſex Columnarum contra Jeſuitas. Quemadmodùm enim Janſeniani utuntur nomine Thomiſtarum, ut dicantur Catholici; ſic etiam abutuntur nomine Jeſuitarum, ut Eccleſiam calumniis onerent, eique craſſiſſimos errores impingant: locus ille eſt pag. 367. col. 4. Ubi Hexapliſta ad præſens propoſitum tanquam exactus tranſcriptor hæreticorum ſic differit. „ Hoc modo appro-

„ bantur omnes technæ & molitiones Jeſuitarum circa
„ hanc materiam. Genium ipſorum eſt, ubique occupare
„ clavem ſcientiæ, aliósque impedire, ne introeant. Hâc
„ viâ occultum inveniunt medium ſibi comparandi fidu-
„ ciam populorum, quibus nulla evaſio patet ſibi conſu-
„ lendi, séque muniendi contra corrupta horum princi-
„ pia & regulas ... paſtores mercenarii parùm curant in-
„ crementum hujuſmodi corruptelæ; ipſimet in hiſce
„ perturbationibus ſua commoda reperiunt, ſic enim
„ tranquilliùs ſuper fidem fidelium dominantur.“

„Quòd Paſtores ſubinde interdicant lectionem Scripturæ ſacræ, id fit, inquit Author ſex Columnarum cum Kemnitio, ut occupetur & tollatur clavis ſcientiæ, ut impediantur alii ab ejus ingreſſu; ut Jeſuitæ & Paſtores Eccleſiæ tranquillè dominentur ſuper fide fidelium, ut fideles teneantur credere, quidquid iſtis lubet, nec poſſint de minimo judicium ferre. „ Pſeudo-policiſmi Jeſuitarum & Paſtorum Eccleſiæ ſtupenda prorſus argumenta!

Idem Kemnit. ibid. p. 60. Etiam bardiſſimorum hominum fides nedum eſt fides implicita Papiſtarum: illa enim fides ipſiusmet Scripturæ ſententias & eloquia includit..... Dixi, quòd omnis alia fides non ſit vera fides, ſed opinio ſervilis, quæ proveniat ex perſuaſione humana, & non ex verbo Dei. Hanc quippe ſervitutem imponunt non tantùm ſimplicibus, ſed & maximè ſpiritualibus, ex metu, ne videant, ne quærant, nec intelligant, utrum id, quod ipſis proponitur, ſit fundatum in Scriptura, vel non fundatum, ſed ut ſimpliciter credant, quod ipſis proponitur: quoniam Pontifex & alii Eccleſiæ Præſules

ita ordinaverunt.... Chryſoſtomus ſæpe reprehendit Laicos, quòd lectionem ſacræ Scripturæ relinquant *ſolis Monachis, & quòd ipſimet nolint nec legere, nec inquirere, an, quod docentur in Eccleſia, ſit conforme Scripturis.*

Reſl. Nónne ex his ipſis principiis Quenellus vult ſtatuere neceſſitatem legendi Scripturas univerſæ plebi.

Franc. Gomar expl. Epiſt. ad Colloſ. Cap. 4. pag. 574. Cùm verbum Jeſu Chriſti debeat habitare in nobis cum abundantia, hinc ſequitur, quòd Concilium Tridentinum fallatur inſigniter, dum non vult, lectionem Verbi Jeſu Chriſti communiter permittendam eſſe omnibus Chriſtianis, quos vocant Laicos, ſed tantùm quibuſdam, illis videlicet, quibus Epiſcopus vel inquiſitor id concedit ex Concilio Parochi vel Confeſſarii, prout ſtatutum eſt per quartam regulam indicis librorum prohibitorum: quod pariter refutatur in vetuſtis commentariis, quæ tribuuntur Hieronymo, & per Chryſoſtomum.

Idem anal. Ep. 1. Joan. Cap. 2. p. 727. Verbum Dei ſcriptum eſt non ſolùm pro ſenibus, *ſed & pro juvenibus, imò pro pueris. Debet ergò legi ab omnibus.* Quapropter eſt impietas Papiſtarum, cùm docent contrarium. Verbum Dei debet habitare in nobis per legem, ut habeamus fortitudinem reſiſtendi Dæmoni, eúmque vincendi. Quamobrem Papiſtæ, *qui non liberè permittunt populo lectionem Verbi Divini, ſed qui eam faciunt dependere à voluntate Paſtorum*, tollunt Chriſtianis, cum Dæmone certantibus, arma neceſſaria defenſioni, ſúntque cauſa eorum ruinæ.

Chamier de uſu Can. l. 10. cap. 4. p. 367. Amplectimur opi-

Digitized by Google

opinionem illorum, qui dicunt lectionem ſacrarum litterarum *debere eſſe communem populo fideli*, ſaltem ex mandato Dei, *& quòd hac lectio ſit neceſſaria neceſſitate præcepti.* Habemus rationes certiſſimas noſtræ opinionis, primò in Scriptura, deinde in Patribus.

Idem ibid. p. 363. Si quædam diſtinctio ſit facienda, *illa ſit ſpecialis* ſecundùm capacitatem cujuslibet. Interim non credimus, unquam poſſe contingere caſum, in quo generaliter prohibenda ſit lectio ſacræ Scripturæ, ſed ſolummodò partium illius.... Non enim æquum eſt, ut omnes perſonæ piæ priventur ſuo bono propter exiguum numerum, & quidem propter plures perverſos. Talis eſt modus agendi Papiſtarum: non timent profanare ipſum Corpus Jeſu Chriſti, illud jaciendo in ſtomachum, vino repletum; & tamen clamant, eſſe ſacrilegium legere Verbum Dei. Sicuti ergò non debet ex toto prohiberi uſus vini, quia complures illo abutuntur, ſeipſos ingurgitando, ſed ſeverè reprehendendi ſunt ebrioſi: Ita pariter *non eſt interdicenda lectio Scripturæ ſacræ*, eò quòd nonnulli eam ſiniſtrè interpretentur, ſed puniendi ſunt duntaxat propter ſacrilegium ipſorum.

Procul dubiò Author ſex Columnarum ex hoc fonte hauſit, quidquid eructavit ad propoſitum pro defenſione Quenelli; conformitas ratiociniorum & comparationum, quibus utitur, evidens eſt.

§. III.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitionibus damnatis oppoſita.

Ex Ratione.

NOtavimus in propoſitionibus Quenellinis contineri tres errores præcipuos. 1. Concedendam eſſe lectionem Bibliorum indiſcriminatim omnibus, ſine delectu aut diſcriminatione characteris, perſonarum, aut librorum ſcripturalium, qui traduntur in manus fidelium. 2. Hanc lectionem eſſe neceſſariam omnibus Chriſtianis, omni tempore, omni loco. 3. Eccleſiam non poſſe ex juſtis rationibus legitimam facere prohibitionem generaliter omnibus fidelibus, non legendi Biblia ſine permiſſione Superiorum. Singuli ex his erroribus poſtulant probationem ſpecialem, pro demonſtrandâ eorum falſitate.

1. Nemo dubitat, quod & ipſimet concedunt hæretici, poſſe fieri abuſus circa Scripturas, earúmque lectionem poſſe eſſe funeſtam pluribus perſonis malè diſpoſitis. Inſuper certum eſt, dari quoſdam libros & loca ſcripturalia, ex quibus pauperes & debiles ſpiritu faciliùs poſſint ſcandalizari quàm in aliis. Hoc ſuppoſito, nónne patet ad oculum & evidenter inſtar ſolis meridiani, eſſe de prudentiâ & charitate paſtorali, ſollicitè explorare conditiones, characteres, capacitates, bonas aut malas diſpoſitiones perſonarum, Scripturas legentium, ut

his

his id permittant, illis prohibeant, reſtringant, ex toto vel ex parte? quis unquam Matrem aut nutricem vidit concedere filiolo ſuo adhuc tenero manducandas carnes, tametſi in ſe bonas, ſtomacho tamen delicatiori oneroſas? Quis unquam vidit Patrem relinquere in manibus parvuli cultrum, aut tormentum ignarium, quo vulneretur parvulus, cùm neſciat adhuc ejus uſum moderare? vel mediocriter ſenſatus & oculatus videt ineptiam hujus primi erroris Quenellini.

2. Ut pateat falſitas ſecundi erroris, ſolùm attendenda ſunt duo verba Apoſtoli: *Fides ex auditu*: Paulus non dicit *fides ex viſu*, ſed ex auditu. Unde concluditur, poſſe ſine ſcripturis addiſci, quidquid ad ſalutem ſcire opus eſt, & conſequenter lectionem Bibliorum non requiri neceſſariò in quacunque tandem circumſtantiâ. Eàpropter ſine dubio Chriſtus Dominus Evangelium ſuum non ſcriptótenus ſed orétenus tradidit, & cùm miſiſſet Apoſtolos ſuos per mundum univerſum, non præcepit eis, traducere Evangelium in diverſa genera linguarum, ſed tantùm juſſit illud annuntiare vivâ voce cunctis nationibus: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Equidem Veritas eſt irrefragabilis, quòd poſt Aſcenſionẽ Chriſti plures anni effluxerint, antequàm unicus liber novi Teſtamenti fuerit conſcriptus, cùm tamen Religio

Chriſtiana tunc ſubſtiterit in totâ ſuâ puritate, & poſtquàm tandem apparuiſſent novæ paginæ divinæ, non ſtatim in linguâ vulgari videbantur, ſed in linguâ græcâ, excepto Evangelio ſecundùm Mathæum, & Epiſtolâ ad Hebræos, quæ, teſtante S. Hieronymo, imprimis hæbraicè ſcripta ſunt: quidam alii etiam excipiunt Evangelium ſecundùm Marcum, originaliter linguâ latinâ exaratum: omnes hæ linguæ, videlicet græca, hæbraica & latina tunc temporis potiori fidelium parti incognitæ erant. Sed quid? ſi imò omnes libri ſacri ſtatim fuiſſent ſcripti vel traducti in linguis vulgaribus omnium nationum, quæ utilitas inde acceſſiſſet potiori parti fidelium? nunquid omnis Chriſtianus didicit litteras, ut ſaltem ſciat legere? Et inter illos, qui ſciunt legere, quantus numerus eorum, quibus vel deeſt tempus vacandi ſtudio Scripturarum, vel deeſt ſufficiens capacitas intelligendi, quæ leguntur, & per conſequens colligendi exindè fructum? chimera proin ridicula ac longè lepidiſſima hæreticorum, quòd velint lectionem ſacræ Scripturæ omni generi perſonarum, omni tempore, omni loco, eſſe neceſſariam, cùm tamen hæc lectio non ſolùm inutilis, ſed & impoſſibilis ſit maximæ parti Chriſtianorum.

3. Duabus his veritatibus ita firmatis, videlicet, lectionem ſacræ Scripturæ poſſe pluribus perſonis malè diſpoſitis eſſe damnoſiſſimam; 2. Hanc lectionem fidelibus non eſſe neceſſariam; nónne conſequitur manifeſtè, penes Eccleſiam eſſe poteſtatem prohibendi ex juſtis cauſis legere Biblia ſine licentia? & quæ validior aut urgentior ratio,

ratio talis prohibitionis, quàm ordinarius & experientiâ edoctus abuſus hujus lectionis, ac enaſcens indè periculum amittendi fidem?

Ex Patribus.

Reg. 4. Indic. l. prob. Conc. Trid. Cùm experimentò manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari linguâ *paſſim ſine diſcrimine permittatur*, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis oriri: hâc in parte judicio Epiſcopi aut inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio Parochi vel Confeſſarii Bibliorum, à Catholicis auctoribus verſorum, lectionem in vulgari linguâ eis concedere poſſint.

Conc. Narb. A.° 1609. c. 3. de lib. vetit. Biblia verò ſacra Idiomate Gallico conſcripta legere, aut domi retinere nemini liceat; *niſi ab Epiſcopo aut ejus Vicario generali expreſsâ in ſcriptis obtentâ licentiâ*; quam non concedent, niſi iiſdem viſis, lectis & approbatis: ne venenum ab hæreticis ſparſum in permultis verſionibus leniter ſerpens animas alioquin pias inficiat.

Toloſan. A.° 1228. c. 4. Prohibemus, *ne libros veteris & novi Teſtamenti Laicis permittatur habere*; niſi fortè pſalterium aut Breviarium pro divinis officiis, ac horas B. Virginis aliquis ex devotione habere velit; ſed *ne permiſſos libros habeant in vulgari tranſlatos.*

Innoc. III. ep. ad Epiſc. & pop. Meten. Significavit nobis Venerabilis frater noſter Metenſis Epiſcopus; *quòd Laicorum & mulierum* multitudo non modica, tracta quodammodò deſiderio ſcripturarum, plures earum libros ſibi

fecit in Gallicò ſermone transferri, translationibus adeò lubenter intendens, ut ſecretis quæſtionibus talia inter ſe Laici & mulieres eructare præſumant, & ſibi invicem prædicare.... Quos, cùm aliquis Parochialium Sacerdotum ſuper his corripere voluiſſet, ipſi eis in faciem reſtiterunt, conantes rationes inducere de ſcripturis, *quòd ab his non deberent aliquatenus prohiberi &c.*

Id. ibid. Arcana quoque fidei Sacramenta *non ſunt paſſim omnibus* exponenda; cùm non poſſint ab omnibus paſſim intelligi; ſed eis tantùm, qui ea poſſunt fideli concipere intellectu.

Et infrà. Tanta eſt divinæ Scripturæ profunditas; ut non ſolùm ſimplices & illiterati, ſed etiam prudentes & docti non plenè ſufficiant ad ipſius intelligentiam indagandam.... Unde rectè fuit in divinâ lege ſtatutum, ut Beſtia, quæ montem tetigerit, lapidaretur: ne videlicet *aliquis ſimplex & indoctus præſumat ad ſublimitatem ſacræ Scripturæ pertingere*, vel etiam aliis eam prædicare.

Tertul. l. de præſc. Satis Chriſtianis eſt, fidei tenere regulam. Regula autem fidei eſt, ut jam hìc, quod credamus, profiteamur: illâ ſcilicet, quâ creditur unum omninò Deum eſſe.... Noviſſimè ignorare meliùs eſt, ne, quod non debeas, nôris. Fides, inquit, tua te ſalvum fecit, *non exercitatio Scripturarum.* Fides in regulâ poſita eſt: habet legem & ſalutem de obſervatione legis. *Exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio*: Cedat curioſitas fidei: Cedat gloria ſaluti.

Clem. Alex. l. 3. Strom. Qui Spiritum Sanctum poſſident, pro-

profunda Dei ſcrutantur: hoc eſt, ii, qui ea aſſequuntur, quæ latent in Scripturis. Sancta autem canibus impertire vetatur, donec beſtiæ manſerint. *Non oportet enim invidioſis & perturbatis, & adhuc infidelibus & imprudentibus,* ad laborandum adversùs inquiſitionem, unquam temperare divinum & purum fluentum aquæ vivæ. *Ne infundantur*, inquit, *aquæ extra fontem tuum: in tuas autem plateas tranſeant aquæ tuæ.* Non enim hoc multi percipiunt, qui in ea incidunt; ſed nec cùm didicerint, cognoſcunt.

Id. l. 3. *Pædag. c.* 11. Fides non ſapientium ſecundùm mundum; ſed eorum, qui ſecundùm Deum ſunt ſapientes, eſt poſſeſſio: *Illa autem etiam abſque litteris ſcitur*: Ejus autem ſcriptum, *quod & ad rudes & ignaros* pertinet, eſt divinum, & vocatur charitas.

Origen. prolog. in Cant. Cant. Verbis enim Cantici Canticorum ille cibus eſt, de quo dicit Apoſtolus: *Perfectorum eſt ſolidus cibus:* Et tales requirit auditores, qui pro poſſibilitate ſumendi exercitatos habeant ſenſus ad diſcretionem boni & mali.... Si aliquis acceſſerit, qui ſecundùm carnem tantummodò vir eſt, *huic tali non parùm in hac Scripturâ diſcriminis, periculíque naſcetur.*

Id. infrà. Ob hoc ergò moneo, & conſilium do omni, qui nondum carnis & ſanguinis moleſtiis caret, neque ab affectu materialis naturæ abſcedit; *ut à lectione libelli hujus, eorúmque, quæ in eo dicuntur,* penitùs temperet. Ajunt enim obſervari etiam apud Hebræos, quòd, niſi quis ad ætatem perfectam, maturámque pervenerit, libellum hunc ne quidem in manibus tenere permittatur.

Digitized by Google

Id. hom. 26. in Num. Cibus autem verus naturæ rationalis ſermo Dei eſt; ſed ſicut in nutrimentis corporis multas paulò ante dederimus differentias: ita & natura rationalis, quæ ratione & verbo Dei paſcitur, *non omnis uno atque eodem verbo* nutritur. Unde ad ſimilitudinem corporalis exempli, eſt aliquibus etiam in verbo Dei cibus lactis, apertior, ſimpliciórque doctrina.... Si legatur eis liber Levitici, *offenditur continuò animus*, & quaſi non ſuum refugit cibum.

Id. infrà. Hæc omnia, quæ verba Dei ſunt, & in quibus diverſus pro captu animarum cibus eſt, unusquiſque, prout ſanum ſe & validum ſentit, aſſumat.

Ibid. infrà. Sunt plurima in illis, quæ apertiùs & ſimpliciùs dicta ſunt, *quàm ut parvi ſensûs ædificent auditorem.*

Hilar. l. 8. de Trinit. Habet non tam veniam, *quàm præmium ignorare, quod credas*; quia maximum fidei ſtipendium eſt ſperare, quæ neſcias.

Id. l. ad Conſtant. Auguſt. Scripturæ non *in legendo* ſunt, ſed in *intelligendo*, neque in prævaricatione ſunt, ſed in charitate.

Athan. de incarn. Verbi Dei circa finem. Cæterùm ad Scripturarum indaginem, verúmque intellectum opus eſt *vitâ probâ, animo puro, & virtute, quæ ſecundùm Chriſtum eſt*.... Nam ſine purâ mente & ſanctorum imitatione nemo comprehenderit Sanctorum verba: Quemadmodùm ſi quis intueri velit ſolis jubar, oculos planè detergit: Ita quoque, qui volet virorum, cæleſtia loquentium, verba intelligere, *priùs detergere & abluere vivendi diſciplinâ animam debet.*

Baſil. in Regul. brev. q. 96. Nunquid unicuique permitti debeat, ut arbitratu ſuo litteras diſcat, vel legendis libris operam det ? *Reſp.* Manifeſtè patet ex præcedente quæſtione S. Baſilii, ſanctum Doctorem hîc quærere de libris & Litteris ſacræ Scripturæ.

Reſpondet ergò Baſilius : Cùm Apoſtolus dicat, ut nōn, quæcunque vultis, illa faciatis, in unaquaque re, quidquid ex voluntate propriâ optabile eſt, id, ſi non alicujus arbitrio permittatur, calamitoſum eſt : Contráque, *quidquid Antiſtites rectum ſtatuerint, in eo manere unuſquiſque debet*, etiamſi contra voluntatem ipſius ſit.

Theod. l. 4. *Hiſt. c.* 17. *Cùm præfectus culinæ Imperatoris neſcio quid de Scripturis protuliſſet, à Magno Baſilio reprehenſum audiviſſe, teſtatur.* Tuum eſt de pulmentis judicare, non dogmata divina decoquere.

Greg. Nazian. orat. 1. *de Theol. Non tuivis eſt*, o viri! de Deo diſſerere : non, inquam, cuivis; non adeò vilis ac protrita hæc res eſt, *& eorum, qui humi adhuc reptant* : Addam etiam, non *cujuſvis temporis*, nec apud *quoſvis*, nec de *quibuſvis*, ſed certo tempore, & apud certos homines, & de aliquo uſque huc faciendum.

Ambr. l. 4. *in Luc. c.* 4. Diſce tu quoque, quia Sathanas ſe transfigurat velut Angelum lucis; & *de Scripturis ipſis ſæpè divinis laqueum fidelibus parat.*

Hier. l. 1. *adv. Pelag.* Dicis, ſine peccato eſſe non poſſe, *niſi qui ſcientiam legis* habuerit : Per quod magnam partem Chriſtianorum excludis à juſtitiâ : & qui prædicator es impeccantiæ, *omnes propè peccatores eſſe* pronuntias. Quo-

tus enim quiſque Chriſtianorum *habet legis ſcientiam*, quam in multis Doctoribus Eccleſiæ aut rarò aut difficulter invenias?

Id. ibid. Verùm tu tantæ es libertatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies; ut in alio loco ſcripſeris, *ſcientiam legis etiam fœminas habere debere*: cùm Apoſtolus doceat, eſſe tacendum mulieribus in Eccleſiâ, & ſi quid ignorant, domi viros ſuos debere conſulere.

Id. prolog. in Ezech. Si quis apud Hebræos ætatem ſacerdotalis miniſterii, id eſt, *trigeſimum annum non impleverit*; nec principia Geneſeos, nec Cantica Canticorum, nec voluminis hujus exordium & finem legere permittitur.

Id. ep. ad Paul. Hæc à me breviter perſtricta ſunt, ut intelligeres, te in Scripturis ſanctis ſine prævio & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi..... Quod medicorum eſt, promittunt medici, tractant fabrilia fabri. *Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vendicant*..... Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequàm diſcant. Alii adducto ſupercilio grandia verba trutinantes, *inter mulierculas de ſacris litteris philoſophantur.*

Id. in Nahum. c. 3: Dicemus ideò Scripturam ſanctam eſſe difficultatibus contextam; ut difficultatem ſenſuum difficultas quoque ſermonis involvat: *ut non facilè pateat ſanctum* canibus, & margaritæ porcis, & prophanis ſancta ſanctorum.

Chryſ.

Chryſoſ. hom. 16. in Gen. Non ſolùm Eva Diabolum non eſt averſata; ſed omne mandatum detexit ei, & margaritas porcis objecit: impletúrque, quod à Chriſto dictum fuerat: *Ne mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Id, quod & factum eſt. Appoſuit enim porco, huic malæ beſtiæ, Dæmoni videlicet, qui per ſerpentem operabatur, divinas margaritas; & non ſolùm eas conculcavit, ſed & dictis ſe oppoſuit: Et converſus non ſolùm eam, ſed cum eâ Protoplaſtum quoque in morbum inobedientiæ perduxit. *Tantum malum abſque delectu cuivis divina myſteria detegere!* Audiant hæc, *qui ſine diſcrimine ſimpliciter cum omnibus colloquuntur.* Neque enim Chriſtus de porcis præcipit; ſed homines porcinis moribus denotat, qui ſicut bruta illa in peccati luto involvuntur: Docens nos, *ut perſonarum diverſitatem & vita rationes inquiramus, quando aliquid divinorum eloquiorum exponere opus fuerit*, ne illos & nosmetipſos lædamus.

Id. in c. 2. Matth. hom. 2. Principes Sacerdotum & Scribæ dant reſponſum Regi interroganti ex corde non bono, cùm deberent zelare myſterium Regis .... Facti ſunt non prædicatores operum Dei, ſed proditores myſteriorum ejus; & non Doctores Herodis, ſed irritatores malitiæ ejus: *Ex quibus docemur, Scripturarum occulta non manifeſtari iniquis, ſed fidelibus.*

Aug. cont. Adam. c. 3. Sacræ Scripturæ non temerarios & ſuperbos accuſatores, *ſed diligentes & pios lectores deſiderant.*

Id. de doct. Chr. l. 1. *c.* 39. Homo itaque fide & ſpe & charitate ſubnixus, eáque inconcuſsè retinens, *non indiget Scripturis*, niſi ad alios inſtruendos. Itaque *multi per hac tria etiam in ſolitudine ſine codicibus vivunt.*

Id. ibid l. 2. *c.* 6. Sed multis & multiplicibus obſcuritatibus & ambagibus decipiuntur, *qui temerè legunt*, aliud pro alio ſentientes. Quibuſdam locis, quid vel falsò ſuſpicentur, non inveniunt; ita obſcurè quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt.

Id. ibid. c. 13. Plerúmque à ſenſu Auctoris deviat interpres, *ſi non ſit doctiſſimus.*

Id. Cont. ep. fund. c. 4. Cæteram quidem turbam *non intelligendi vivacitas*, verùm credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.

Id. ep. 102. *ad Evod.* Si propter ſolos eos Chriſtus mortuus eſt, qui certâ intelligentiâ poſſunt, quæ ad fidem pertinent, diſcernere; fruſtra in Eccleſiâ laboramus. *Non quantum intelligas*, ſed quantum credas, & quantum credendo ames, quærit Deus.

Id. de utilitat. cred. c. 2. Quia ſunt ibi, *quæ ſuboffendunt animos ignaros* & negligentes ſui, quæ maxima turba eſt, populariter accuſari poſſunt; defendi autem populariter propter myſteria, quæ his continentur, non à multis omninò poſſunt.

Id. cont. adv. leg. & Proph. l. 1. *c.* 13. Nam illud, quod & Propheta, libri hujus Auctor, intendit, ut ejus narratio rerum factarum eſſet etiam figuratio futurarum, *non eſt contentioſis & infidelibus ſenſibus ingerendum.* Cùm ergò tot

exi-

exitus piè quærentibus pateant; unde iſte, niſi diabolico inſtinctu, in eis rebus eligit calumniari, quas non eſt idoneus perſcrutari.

Greg. mag. proem. in Cant. Cant. Scriptum eſt: *Si Beſtia tetigerit montem, lapidabitur.* Beſtia tangit montem, quando irrationabilibus motibus dediti *Scriptura ſacræ celſitudini propinquant*, & non ea, ſecundùm quod debent, intelligunt, ſed irrationabiliter ad ſuæ voluptatis intelligentiam flectunt. *Omnis enim abſurdus, vel ſenſu piger, ſi circa hunc montem viſus fuerit*, atrociſſimis ſententiis veluti lapidibus necatur.

Bern. ſerm. 1. in Cant. Cant. Liber Cantici Canticorum *non niſi ſobriis mentibus & auribus* omninò credendus eſt: alioquin ante carnem, diſciplinæ ſtudiis domitam, & mancipatam ſpiritui, atque ſpretam & abjectam ſæculi pompam & ſarcinam, *indignè ab impuris lectio ſancta præſumitur.*

Ibid. infrà. Adverte, hujuſmodi principiis ſolas ad hanc intelligendam Scripturam *mentes invitari pacificas*; quæ ſeſe jam à vitiorum vindicare perturbationibus & curarum tumultibus prævalent.

De imit. Chr. l. 1. c. 3. Certè adveniente die judicii non quæretur à nobis, *quid legimus*, ſed quàm religiosè viximus.

Et cap. 5. Omnis Scriptura ſacra *eo Spiritu debet legi*, quo facta eſt.

Gerſon. tract. cont. hæreſ. de commun. Laicor. ſub utrâque ſpec. part. 1. Reg. 8. Ex hac radice peſtifera orti ſunt, & quotidie

tidie creſcunt errores Begarorum, & pauperum de Lugduno, & omnium ſimilium: quorum multi ſunt Laici, habentes *in ſuo vulgari translationem Bibliæ, in grande præjudicium & ſcandalum Catholicæ veritatis.*

Id. ſerm. 1. *de Nativit.* Hæreticus ille (Helvidius) per malam Scripturæ intelligentiam deceptus eſt, quemadmodùm multi ſunt.... Et propterea ſumo hîc unum documentum, quia *periculoſiſſima res eſt, dare hominibus ſimplicibus*, qui non ſunt docti, *libros ſacræ Scripturæ in Gallicum translatos*; quia per malam intelligentiam continuò poſſunt cadere in errores: Debent audire Prædicatores, quia aliàs fruſtrà eſſent.

Id. tract. de conſid. conſid. 4. Non ſufficit intelligere ſacram Scripturam ſic, ut duntaxat grammaticalis & vulgaris dictionum ſciatur ſignificatio: *Verùm etiam requiritur ingens & longum ſtudium*..... Alioquin ſimplex grammaticus mox bonus eſſet Theologus.... quod verum eſt minimè; *ſed eſt occaſio maxima in hæreſes labendi*, ſicut Julianus Apoſtata, Helvidius.... & omnes fermè hæreſes ex iſta præſumptione prodiêrunt.

Ibid. conſid. 5. Quemadmodùm de Biblia benè & verè in gallicum translatâ bonum aliquod, ſi ſobriè intelligatur, poteſt emanare; ſic per oppoſitum innumeri errores & mala evenire poſſunt, ſi malè fuerint traducta, & præſumptuosè intellecta, refutando ſenſus & ſanctorum Doctorum expoſitiones. *Satiùs eſſet hujuſmodi rem ignorare*, quemadmodùm in medicinis & aliis ſcientiis, quas meliùs eſſet prorſus ignorare, quàm parùm aut malè ſcire, & ſe magiſtrum reputare in eis.

Cenſur. facult. Par. Prop. 1. *Eraſm. Sacras litteras cupiam in omnes verti linguas.* Quamvis in quamcunque linguam vertantur ſacræ litteræ, ſuaptè naturâ ſanctæ ſunt & bonæ: *quanti tamen ſit periculi, permittere paſſim lectionem earum, in linguam vulgarem traductarum, abſque ullâ explicatione Idiotis & ſimplicibus eis abutentibus*, nec eas piè & humiliter legentibus, quales plurimi nunc reperiuntur, ſatis indicârunt Valdenſes &c. qui inde occaſione aſſumptâ multos errores diſſeminârunt. Quare hâc tempeſtate, perſpectâ hominum malitiâ, *periculoſa & pernicioſa* extitit hujuſmodi traductio, loquendo de omnibus Scripturæ libris indifferenter. Nec ſic, ubi paucis eſſet utilis, *prætereà temerè eſſet omnibus permittenda:* In re namque ad ſalutem non neceſſaria potiùs conſulendum eſt multorum profectui, ipſam interdicendo, quàm paucorum utilitati eam permittendo, *cum gravi multitudinis incommodo.*

Cenſ. prop. 2. *Exclamant indignum facinus, ſi mulier vel coriarius loquatur de ſacris litteris.* Rectè perpensâ multorum hujus temporis impudenti temeritate, indignum facinus exiſtimandum eſt; *quòd Idiotæ & ſimplices ſuo judicio ſacras litteras legant, in ſuam linguam converſas*, & de illis diſſerant, aut diſceptantes de earum difficultatibus tractent.

Cenſ. prop. 3. *Me Auctore ſacros libros leget agricola, leget faber, leget latomus.* Teſtantur ſacra eloquia, ſimplices eſſe tanquam parvulos, quibus Auctore Paulo lacte opus ſit.... Quapropter *non eſt medium aptum hujuſmodi ſimplicibus, quòd indiſcriminatim quoſvis ſacros libros legant, in linguam vernaculam translatos*; ſed convenientiſſimum eis edium Eccleſia conſtituit, auditionem Verbi Dei.

Cenſ. prop. 4. Neque Ezechielis propheta, neque Cantici Canticorum aut cujuſdam librorum veteris teſtamenti lectionem ulli homini interdico. Cùm Sedis Apoſtolicæ decreto multorum talium librorum lectio Laicis jam pridem interdicta ſit, & eruditis in lege Domini apud Hebræos prohibita fuerit lectio dictorum librorum, atque primi capitis Geneſeos, ante annum ætatis trigeſimum; prædicta propoſitio *temerariè & imprudenter aſſeritur.*

§. IV.

Reſpondetur Objectionibus.

AUthor ſex Columnarum hìc conglomerat ingentem cumulum textuum Scripturæ & Patrum, ſed compilatione reverà inutili. Oleum & operam perdidit ſic laborando: quid enim evincunt, quid probant omnes hi textus? nihil aliud niſi veritatem inter Catholicos ſolemnem, & unanimiter receptam, quòd non ſit lectio tam utilis in ſeipſa, ac lectio ſacræ Scripturæ, & quòd omnis generis perſonæ poſſint inde colligere ingens ſalutis emolumentum, ſi ſociâ diſpoſitione debitâ ad talem lectionem incumbant.

Verum eſt, ſcripſiſſe nonnullos ex Patribus, omnem hominem indigere hâc lectione, neceſſariam eſſe Chriſtianis, imò magis neceſſariam ſæcularibus, quàm Religioſis. Quis verò ex omnibus deſuper jam dictis non videt, Patres loqui duntaxat de indigentiâ utilitatis, non abſolutæ neceſſitatis? prout Zelantes & toti erant hi SS. Patres in dehortandis, in avocandis fidelibus à luxu, vanitate & ſpectaculis mundi, frequentiùs uſurpa-

pabant in ſuis diſcurſibus ſimiles amplificationes, ut penetrantiùs infricarent veritates, à ſe prædicatas, mentibus credentium. Itaque eorum ſermones non ſemper intelligendi ſunt in rigoroſo, ſed in ſano ſenſu, atque accomodo.

Pari moderatione ſumenda quoque ſunt verba S. Chryſoſtomi, cùm dicit: (*a*) *non poteſt fieri, ut quiſquam ſalutem aſſequatur, niſi perpetuò verſetur in lectione ſpirituali.* Hæc eſt hyperbole, (notat deſuper ſapientiſſimè Bellarminus,) & non propria locutio, inſtar illius ſententiæ, ab eodem S. Patre prodeuntis, *nunquam licitum eſſe jurare, nec pro re juſtâ neque injuſtâ, nequidem in neceſſitate.* Sicut ergò S. Chryſoſtomus adhibebat hanc exaggerationem, ut deterreret fideles à juramentis, quibus admodùm aſſueti erant; ſic pariter rem exaggerat circa lectionem ſacræ Scripturæ, quæ tunc notabiliter negligebatur, etiam ab illis, quibus valde utilis eſſe potuiſſet.

§. V.

Qualificatio propoſitionum damnatarum.

OMnes hæ propoſitiones collectìm ſumptæ ſunt pernicioſæ, injurioſæ Eccleſiæ ejúſque uſibus.

1. Sunt *pernicioſæ*, quia nihil ita nocet populo Chriſtiano, quàm omnis generis perſonis, cujuslibet characteris, non attentis earum diſpoſitionibus, permittere lectionem ſacræ Scripturæ ad placitum & pruritum, cùm ex tam indiſcreta libertate prægrandia mala poſſint oriri in Eccleſiâ.

(*a*) hom 3. de Lazar. hom, 15. in Geneſ. & 17. in Math.

2. Sunt *injurioſæ eidem Eccleſiæ, ac uſibus Eccleſiaſticis*; Quid enim Authoritati Eccleſiæ tam injurioſum, ac dicere, eam exercere praxin periculoſam, prohibendo certis temporibus, in certis locis lectionem Bibliorum? eam hâc prohibitione committere illuſionem, ac obturare os Chriſti? eam filiis ſuis interdicere uſum luminis tam judicioſo & luminoſo interdicto? præter has qualificationes generales, omnibus propoſitionibus hic ventilatis convenientes, ſunt adhuc aliquæ propoſitiones, quæ merentur ſpeciales ſuas qualificationes.

1. Propoſitio LXXIX. *Utile & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni Perſonarum generi, ſtudere & cognoſcere ſpiritum, pietatem & myſteria ſacra Scripturæ.* Hæc propoſitio *eſt erronea*, cùm videatur contradictoriè oppoſita veritatibus in Scripturâ revelatis, nimirum fidem eſſe ex auditu, non ex viſu; item: tam ignorantibus, quàm ſcientibus ſuppeditari omnia media ad ſalutem neceſſaria, independenter à librorum lectione.

2. Propoſitio LXXXI. *Obſcuritas Sancta verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſeipſos ab ejus lectione.* Hæc propoſitio eſt *captioſa*, quòd ſub apparentiâ Veritatis falſitatem inſinuet: etenim verum eſt, obſcuritatem Verbi Dei non eſſe Laicis rationem diſpenſandi ſeipſos ab ejus lectione, ſi ſciant legere, ſintque ſufficienter diſpoſiti ad hauriendos exinde fructus ſalutis; licèt enim nonnulla loca ſint eorum intellectui impervia, intelligent tamen abſque difficultate plura alia, unde inſtrui atque ædificati

cari valeant. Verùmtamen non huc collimat Quenellius, ſed ſub ovinâ pelle hujus veritatis lupum tegit, clanculò inculcans, lectionem Scripturarum eſſe pro omnibus, ex obligatione & neceſſitate indiſpenſabili, etiam pro ſimpliciſſimis & incultiſſimis ingeniis.

3. Propoſitio LXXXII. *Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia ſanctarum Scripturarum: damnoſum eſt, velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.* Hæc propoſitio eſt *falſa*: tametſi enim ſit actio piiſſima ac laude digniſſima, conſecrare tempus poſt officia divina reſiduum ſacræ lectioni & mediationi Scripturarum, non tamen ſpecialis hæc actio neceſſaria eſt, ut dignè ſanctificentur dies Dominici & Feſta. Imò poteſt dici, talem lectionem multò minùs requiri, quàm plurimæ aliæ actiones: in exemplo; rudis quædam & plebeia perſona peſſimè faceret, ſeſe applicando lectioni Bibliorum diebus Feſtis & Dominicis, loco frequentandi Conciones, Catechiſmos & exhortationes ſacras; & fortaſſis committeret peccatum mortale, ſuppoſito, eam non eſſe ſatis imbutam de præcipuis noſtræ Religionis myſteriis, de quorum notitiâ ex ſolâ Scripturarum lectione nunquam referre poteſt requiſitam inſtructionem, nec deſuper formare juſtos ac debitos conceptus.

4. Propoſitio LXXXIII. *Eſt illuſio ſibi perſuadere, quòd notitia Myſteriorum Religionis non debeant communicari fœminis lectione ſacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimpli-*

ſimplicitate, ſed ex ſuperbâ virorum ſcientiâ ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes. Hæc propoſitio eſt *captioſa*; quippe quòd ſub ſpecie Veritatis, nimirùm nullam hæreſin à fœminis ſuſcitatam eſſe, Quenellus tentet inſinuare, fœminas in ſacris Scripturis minùs periclitari, quàm viros; non tam facilè in errores abduci; à Bibliorum abuſu remotiores eſſe; quod eſt falſiſſimum. Quis neſcit curioſitatem, ignorantiam, nimiam credulitatem, infirmitatem judicii, obſtinaciam & vanitatem eſſe cauſas plerúmque ordinarias hæreſûm. Annon mulieres à potiori ſunt nimis curioſæ? annon deperditè amant novitates? annon æmulantur chariſmata peſſima, ſeſe ab invicem diſtinguendi ardore? devotiſſimæ inter illas, & apprimè ſpirituales ſúntne ſatis fundatæ, ſatis ſolidæ, ut & infirmitatem objectionis hæreticæ, & firmitatem rationis aut ſolutionis Catholicæ penetrent? nónne fallacibus quibúſve ſimulachris, ac ſomniorum quâvis imagine luduntur, & præoccupantur? Cùm verò ſemel ſententiis ſibi blandis & arridentibus pertinaciter irretiuntur, tunc opus tunc labor eſt infinitus, donec revocentur ad doctrinam ſanam: Quid? quòd pænè omnes inviolabiliter conglutinatæ ſint ſuis directoribus? quid? quòd horum faſcinatæ benedictionibus, quidquid Janſenium, quidquid Quenellum redolet, expanſis recipiant brachiis, tanquam oracula Cælo lapſa? quid? quòd inſanâ Directorum ſuorum æſtimatione eò uſque obcæcatæ ſint, ut ne quidem palpabiles eorum defectus advertant? nónne hæ ſunt prægrandes diſpoſitiones ad hæreſin?

reſin? Non id ignorant Janſeniani : ex hâc notitiâ opportunè proficiunt ; proh ! quanta inferunt damna Chriſti Eccleſiæ, adjutorio ſuarum Amazonum, ut appellantur à S. Hieronymo.

5. Propoſitiones, LXXXIV. & LXXXV. *Abripere è Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.* Item. *Interdicere Chriſtianis lectionem ſacræ Scripturæ, præſertim Evangelij, eſt interdicere uſum luminis filijs lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis.* Hæ propoſitiones ſunt *evidenter falſæ & erroneæ.* Nónne Scriptura de Paſtoribus teſtatur; *Vos eſtis lux mundi?* & *qui vos audit, me audit?* ergò nec obturatur os Chriſti, nec interdicitur uſus luminis filiis lucis, quandò ipſis inhibetur lectio Bibliorum, cùm ſemper poſſint audire vocem & os Jeſu Chriſti ex ore & organo Sacerdotum, quos audiendo auditur Chriſtus: cùm ſemper poſſint recipere lumen ſibi neceſſarium ab iis, qui ſunt lux mundi, nimirùm ab Epiſcopis, Parochis, Presbyteris, aliiſque Operariis Evangelicis in vineâ Domini.

PROPOSITIO LXXXVI.

ERipere ſimplici populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

EX cunctis propoſitionibus Quenellinis paucæ ſunt, ob quarum damnationem aſſeclæ Quenelli audentiùs

Digitized by Google

inſultent judicio ſummi Pontificis, quàm ob præſentem; quippe quòd arbitrentur Papam in hâc propoſitione damnâſſe uſum receptiſſimum in omnibus Chriſtiani orbis Eccleſiis, cantandi nimirum communi ore & unanimi corde divinas laudes, ac permittendi Laicis jungere voces ſuas vocibus Miniſtrorum Eccleſiæ: Interim ex omnibus propoſitionibus, diſciplinam Eccleſiaſticam concernentibus, nulla occurrit cenſuris dignior, & quidem ſeveriſſimis cenſuris. Vel ſuperficialis attentio denudat in hâc propoſitione tres errores palpabiles: primus error eſt, quòd neceſſe ſit, transponere ex vulgatâ linguâ latinâ in linguas vulgares, quidquid Breviarium & Miſſale complectitur, idque extradere etiam in manus promiſcuæ plebis. Secundus: Quòd celebranda ſint divina myſteria, divina officia in linguis vulgaribus, & quòd Canon Miſſæ pronuntiari debeat altâ & intelligibili voce, quæ audiatur ab omni populo. Tertius: Quòd plebi concedendum ſit ſolatium recitandi cum Sacerdotibus Canonem ſub celebratione Miſſæ. Probemus hæc omnia per ordinem.

1. Manifeſtum eſt, Quenellum hîc prætendere, opus eſſe, ut traducantur Breviaria & Miſſalia in linguas vulgares, ita ut omnibus ſint intelligibilia. Secundùm ipſum eſt *praxis Apoſtolica & intentio Dei, ut populus jungat vocem ſuam voci totius Eccleſiæ*: at de quâ conjunctione hîc loquitur Quenellus? de conjunctione ſive unione, quæ fit, ut ipſemet paulò ſuperiùs docet, *per applicationem intellectûs ad laudes, ad preces & Sacrificia Eccleſiæ, ita, ut filij*

intelli-

intelligant, quid pro ipſis agat, quid petat pia Mater Eccleſia, & quid ipſi cum illâ agant & petant: atqui certum eſt, quòd plebs non ſic unire poſſit vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, niſi transferantur Miſſalia & Breviaria in linguam vernaculam; Ergò Quenellus hoc loco aſtruit neceſſitatem verſionis hujus, ut populus ſe conformare valeat *& intentioni divinæ, & praxi Apoſtolicæ.* Argumentum demonſtrativum.

2. Etiam evidens eſt, Quenellum hîc velle, quòd divina Myſteria ſint celebranda in linguis vernaculis ſeu vulgaribus, & quòd altâ voce pronuntianda ſint, quæcunque in Miſſâ pronuntiantur: Reverà enim inculta plebs, quæ juxta ipſum debet jungere vocem ſuam voci Eccleſiæ, neſcit idioma latinum; potior pars vel legere ignorat. Si itaque neceſſe ſit, ut populus jungat vocem ſuam voci Miniſtrorum Eccleſiæ, & quidem *per applicationem intellectûs ad laudes, preces & Sacrificia*, neceſſe quoque erit, ut hi miniſtri loquantur linguâ populo notâ, & ut altâ voce dicenda pronuntient: ſecùs enim non poſſet plebs unire vocem ſuam, nihil audiens aut intelligens.

3. Neque etiam dubitandum eſt, Quenellum hîc docere, quòd minuta plebs debeat frui *ſolatio* recitandi Canonem Miſſæ, ac pronuntiandi cum Sacerdote tremenda verba Conſecrationis; Si enim ſit *intentio Dei & praxis Apoſtolica*, quòd ſimplex populus uniat vocem ſuam voci Eccleſiæ *per applicationem intellectûs ad preces, laudes & ſacrificia &c.* Utique certum eſt, populum nunquam magis tene-

teneri ad unionem vocis ſuæ cum voce Eccleſiæ, quàm durante Canone, ubi preces & laudes ſunt intenſiores, & præſertim ſub conſecratione, ubi verum & eſſentiale fit ſacrificium; adeóque omnes, nemine excepto, ſine diſtinctione ætatis aut ſexûs, tenentur eſſe attenti ſub Sacrificio Miſſæ, ut pronuntient verba illa, majeſtate & terrore plena, quibus de Cælo trahitur ſuper altare Sanctus Sanctorum, ſi velint ſequi *praxin Apoſtolicam*, ac correſpondere *divinis intentionibus.*

Hæc eſt inſignis diſciplina Eccleſiaſtica, quam Quenellus conatur ſtatuere, atque renovare in Eccleſiis propoſitione ſuâ fanaticâ, quam tot perſonæ, primo intuitu præventæ, arbitrabantur irreprehenſibilem: ne quidem ipſe Author Hexaplarum id negat: abſit, Quenellum quoad hoc juſtificari à ſuo Apologiſtâ, aut expurgari à tali errore; è contrario firmat Apologiſta Quenelli ſententiam, & quidem Authoritate Concilii Tridentini. „Intentio Concilii Tridentini eſt, inquit, (*a*) ut concedatur populo ſolatium intelligendi, quid legatur in „Miſſâ, & ex ſequelâ naturali, quid contineatur in cæteris partibus divini officii.... Ejus intentio eſt, ut libri „tradantur in manus populi in linguis vulgaribus, „ut filii poſſint ſuas voces unire cum voce Matris, ac „percipere, ut docet Quenellus, quid Mater Eccleſia „pro ipſis agat, & petat.„ Præterimus hoc loco, ac tacemus ſtupendam temeritatem, & enormiter malam fidem Authoris ſex Columnarum, quâ ſociâ non veretur uſur-

(*a*) pag. 361. col. 4.

Digitized by Google

uſurpare Authoritatem Concilii Tridentini ad evertendas deciſiones ejuſdem Concilii. Oſtendiſſe ſufficiat, interpretem Quenelli non abhorrere ejusdem Quenelli leges & principia, ac per conſequens Quenello non fieri injuriam, cùm ipſi imputatur error, cui ipſemet Apologiſta ſubſcribit.

Ut funditùs hac de re convincamur, ponderandus eſt textus, Quenello præbens occaſionem, tam malè reflectendi & proponendi. Textus eſt S. Pauli, primâ Epiſtolâ ad Corinth. c. 14. *Cæterùm ſi benedixeris Spiritu, qui ſupplet locum Idiotæ, quomodò dicet Amen ſuper tuam benedictionem?* textus famoſus, ex quo continuò conati ſunt proteſtantes prævalere contra Eccleſiam latinam, damnando ejus uſum, publica Dei officia latinè perfungendi, ac pronuntiandi ſubmiſſâ voce majorem partem Sacrificii Miſſæ. In promptu foret plurima afferre loca & dicta hæreticorum ad propoſitum; cùm verò mens ſit abbreviare præſens opus, præter intentionem intumeſcens, ſatis erit, hìc attuliſſe Kemnitium, ex cujus eloquio clarè patebit, quo animentur Spiritu moderni Reformatores diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & ex quo fonte hauſerint præcipuas probationes, profanis ſuis Novitatibus ſtabiliendis.

„ Verùm, quid eſt, inquit Kemnitius, (a) quòd Conci„lium Tridentinum circa hoc ordinat? concedit, Miſſam „continere grandem inſtructionem pro fideli populo; „interim non judicavit conſultum, ut celebretur in lin„guâ vulgari: jam ſecundùm S. Ambroſium nemo poteſt

(a) Kemnit. exam. Conc. Trid. 2. part. p. 172.

„ docere ac inſtruere, niſi intelligatur; nec poteſt intelli-
„ gi linguâ incognitâ: ergò ſapit contradictionem, ſi di-
„ catur, Miſſam debere inſervire ad inſtructionem popu-
„ li, & tamen debere celebrari in linguâ extraneâ, & in-
„ cognitâ plebi: niſi velint forſitan dicere, quòd Miſſa re-
„ verà contineat inſtructiones, ſed quòd non comunican-
„ dæ ſint populo, ſed potiùs occultandæ, loquendo lin-
„ guam, quam non noverunt ſimplices. Verumtamen,
„ qualē tandem afferunt rationem ſic procedendi? eſt ri-
„ tus antiquus, reſpondent. Intereà nos demonſtravi-
„ mus, quòd ritus contrarius celebrandi divina Myſteria
„ in linguâ vulgari & cognitâ ſit multò antiquior, & an-
„ tiquiſſimus: ſed, ut video, præſcriptio trecentorum an-
„ norum Papiſtis eſt ipſa tota antiquitas; ita ut juxta ip-
„ ſos ordinatio ſive *intentio Dei*, & *traditio Apoſtolica*, obſer-
„ vata quindecim ſæculis, non pertineat ad antiquitatem.
„ Quid autem reſpondent ad verba tam clara S. Pauli ep.
„ 1. ad Cor. c. 14.? multùm intereſt, hoc ſcire: Eccleſia
„ Romana, inquiunt, quæ eſt Mater & Domina omnium
„ Eccleſiarum, approbavit ritum celebrandi divina Offi-
„ cia in linguâ alienâ & ignotâ plebi.... Interim Conci-
„ lium Tridentinum permittit quandam ſpeciem liberta-
„ tis, nonnunquam explicandi partem aliquam eorum,
„ quæ leguntur in Miſſâ. Si ſic intelligerent, quòd,
„ poſtquàm recitatæ ſunt lectiones & preces pro cal-
„ lentibus linguam latinam, etiam eas interpreten-
„ tur in linguâ vulgari, ut populus poſſet dicere,
„ Amen, adhuc ſupereſſet aliqualis ſpecies reforma-

tio-

„tionis, ac quædam relatio ad id, quod dicit Pau-„lus. 1. Cor. 14.

„Quod dicunt capite quinto, huc redit; quando „præcipiunt ſub pœnâ Anathematis, pronuntiare par-„tem Canonis, & verba Conſecrationis ſubmiſſâ voce, „ut ne quidem audiantur ab intelligentibus latinam „linguam. Certè Jeſus Chriſtus, inſtituendo Celebratio-„nem Cænæ, mandavit id facere in ſuam commemora-„tionem, non tacitè & in ſilentio, ſed, ut explicat D. Pau-„lus, altè annuntiando: Nam Chriſtus inſtituit Sacra-„menta, ut actio ſit publica & viſibilis, & ut verbum, „quod eſt præcipua pars Sacramentorum, non ſit ab-„ſconditum, & ſepultum ſilentio. Et S. Paulus 1. Cor. 14. „ſolicitè diſtinguit hæc duo, nimirum loqui in Eccleſiâ, „quæ pertinent ad miniſterium publicum, & loqui in „particulari ad ſeipſum, ſive ad Deum. Idcircò tota anti-„quitas pronuntiabat preces, gratiarum actiones, & „præſertim omnia verba cænæ linguâ intelligibili, at-„que omnibus, ad divina myſteria aſſiſtentibus, comper-„tâ: Ita ut populus poſſet reſpondere Amen." Kemni-tius deſuper citat D. Dyoniſium, Beſſarionem, S. Au-guſtinum, S. Ambroſium, S. Chryſoſtomum &c.

En ſcaturiginem venenatam Kemnitii, aliorúm-que Sectariorum, ex quâ Quenellus & Hexapliſta ſi-ne dubio hauſerunt novam diſcip inam Eccleſiaſticam, quam inducere tentant Eccleſiis: ex hâc collegerunt, confirmandæ ſuæ doctrinæ, ratiunculas illas & Authori-tates, ad quas omnes Polemici jam millies & millies re-

ſponderunt: imò jure merito creditur, cùm penè in omnibus cohæreant Calvinianis, eos quoque ſentire, quod Calviniani de Sacerdotio; volo dicere, eos credere, Sacerdotium eſſe ſimplicem populi deputationem, omnéſque homines in particulari ſine diſcrimine Sexûs, virorum aut mulierum, habere poteſtatem dicendi Miſſam, & conſecrandi Corpus filii Dei: in quo enim radicabitur hæc prætenſa neceſſitas traducendi totum Canonem in linguam vulgarem, ut volvatur paſſim in omnium manibus? & unde hæc obligatio ſimplicis plebis, jungendi vocem ſuam per applicationem intellectûs ad verba ſacra à Sacerdote prolata? nónne, quòd juxta Quenellum *æquum ſit, ſimplicem plebem comprehendere, quidquid Presbyteri faciunt pro populo, & quidquid agit populus pro ſeipſo per Presbyteros?* ecquid agunt Presbyteri pro plebe, celebrando Miſſas & divina Myſteria? conſecrant Corpus Chriſti. Hæc Conſecratio eſt eorum exercitium primarium; igitur turba cum ipſis conſecrat, cùm juxta Quenellum exerceat, quod Sacerdos. Verum quidem eſt, nec difficulter conceditur, quòd populus unácum Sacerdotibus ſimpliciter Sacrificium offerat: Hoc poteſt aſſeverari; verumtamen ſi agatur duntaxat de ſimplici oblatione; ad quid ergò neceſſitas illa, ut populus cuncta verba Conſecrationis intelligat, comprehendat, pronuntiet, ſuámque vocem jungat *per applicationem intellectûs* cum voce celebrantis? quis non advertit, hujuſmodi expreſſiones & regulas Quenellinas eſſe ad minimum ſummoperè ſuſpectas? Ne tamen nimiùm immoremur detegendis occul-

tio-

tioribus erroribus, in propoſitione Quenelli contentis, ſufficiat, ſi examinentur illi tantùm errores, qui naturaliùs intellectui obviant, dicendo, hanc propoſitionem eſſe omninò falſam, pernicioſam, injurioſam Eccleſiæ ejuſque uſibus, prout paulò poſt videbitur paragrapho tertio.

§. II.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

Exod. 19. 12. Cavete, ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines ejus: Omnis, qui tetigerit montem, morte morietur.

Tob. 12. 6. Sacramentum Regis abſcondere, bonum eſt.

1. *Cor.* 2. 8. Sapientiam loquimur *inter perfectos* .... in myſterio, quæ abſcondita eſt.

Conc. Trid. Seſſ. 22. *c.* 8. Non expedire viſum eſt Patribus, *ut vulgari paſſim linguâ Miſſa celebraretur.*

Ibid. can. 9. Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo *ſubmiſſâ voce pars Canonis & verba Conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, aut linguâ tantùm vulgari Miſſam celebrari debere .... eò quòd ſit contra intentionem Chriſti*: Anathema ſit.

Mediol. Conſtit. part. 2. *de his, quæ pertin. ad celebr. Miſſ.* Ut quæ palàm pronuntianda ſunt, diſtinctè & clarâ voce dicant: *ut ſecreta, quæ vocantur, ſecretò etiam pronuntient.*

Colon. A. 1536. *part.* 2. *c.* 13. Qui legit Miſſam, cum reverendâ modeſtiâ clarè, diſtinctè & exertè legat omnia *uſque ad Canonem &c.*

Digitized by Google

Synod. Auguſt. A. 1548. *Tit.* 15. *Lingua latina*, quâ, veluti divino inſtrumento, in ipsâ arâ crucis ſacris uſibus dedicato, Eccleſia Occidentalis religionem Chriſtianam fert acceptam, in Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque Eccleſiaſticis officiis, per totam noſtram Diæceſin retineatur, & excluſa revocetur.

Ibid. tit. 18. Canon Miſſæ ſubmiſſâ voce, exceptâ Dominicâ oratione, pacis exoptatione, Dei invocatione, & poſtremâ populi ſalutatione, *quemadmodum hactenus à Catholicis factum eſt*, ſummáque religiòne, *ut myſteriis tremendis ſua conferatur auctoritas*, pronuntietur.

Greg. VII. ep. ad Duc. Boh. Quia verò Nobilitas tua poſtulavit, ut ſecundùm Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari officium annueremus; *ſcias, nos huic petitioni tuæ nequaquàm poſſe favere.* Ex hoc nempe ſæpè volventibus liquet, non immeritò ſacram Scripturam Omnipotenti Deo placuiſſe quibuſdam locis eſſe occultam; ne, ſi ad liquidum cunctis pateret, fortè vileſceret, & pateret deſpectui, aut, pravè intellecta à mediocribus, in errorem induceret.

Dion. Eccl. Hier. c. 1. Obſerva diligentiùs, ne Sancta Sanctorum offeras, néve prophanis hominibus violandâ permittas. Verùm revereberis magis, occultíque Dei myſteria ſpiritualibus inviſibilibúſque notionibus honorabis, atque in temerata ſervabis, *nequaquam ea paſſim rudibus tradens*, ſed ſanctis ſolis ſanctarum rerum intelligentias ſacratiùs pandens.

Et cap. 7. Efficientes Conſecrationis preces, fas non

eſt

eſt, ſcripto interpretari, *neque ipſarum arcanum è ſecreto in publicum proferre.*

Orig. hom. 20. *in Joſ.* Si enim creditum eſt..... quòd quædam carmina, quas præcantationes vocant, ex ſolo vocis ſono vel ſopiant ſerpentes.... quantò magis totius precationis & carminis validiorem & potiorem dicendam credimus, quamcumque illam Scripturæ ſanctæ vel ſermonum vel nominum appellationem. Sicut enim apud infideles contrariæ virtutes, audientes illa vel illa nomina in carminibus & præcantationibus, adſunt, & exhibent famulatum.... eò magis utique cæleſtes virtutes, & Angeli Dei, qui nobiſcum ſunt.... libenter & gratè accipiunt, ſi ſemper verba Scripturæ velut carmina quædam ex noſtro ore promamus. Quia *etſi nos non intelligimus, quæ de ore proferimus*, illæ tamen virtutes, quæ nobis adſunt, intelligunt, &, velut carmine quodam invitatæ, adeſſe nobis, & ferre auxilium delectantur.

Ibid infrà. Si linguis loquamur, & ſpiritus noſter oret, ſenſus autem noſter ſine fructu ſit: Dixit enim & hoc S. Apoſtolus, & mirum quodammodò myſterium humanis auribus protulit, dicens: aliquando fieri poſſe, ut Spiritus, qui in nobis eſt, oret, & ſenſus noſter ſine fructu ſit. Intellige ergò ex hoc, quid ſit, *aliquando noſter quidem ſenſus eſt ſine fructu*; Spiritus autem, ideſt, virtutes illæ, quæ animæ in adjutorium datæ ſunt, paſcuntur & reficiuntur ex auditu Scripturæ ſacræ, velut ex divinis & rationabilibus cibis: Quid dico?.... Ipſe Dominus noſter JEſus Chriſtus, ſi nos inveniat eis vacantes, non ſolùm paſci & refici

dignatur in nobis: verùm eiam ſi has epulas viderit, apud nos apparatas, Patrem ſecum dignatur adducere.

Ibid infrà. Sic ergò vide, aliquando legi Scripturam in auribus tuis, *quam non intelligis*, & ſenſus ejus tibi videtur obſcurus: interim hanc primam ſuſcepiſſe utilitatem, quod ſolo auditu velut præcantatione quadam noxiarum virtutum, quæ te obſident, & quæ tibi inſidiantur, virtus depellitur & fugatur.

Hilar. in pſalm. 118. *In corde meo abſcondi eloquia tua.* Meminimus, ſimile huic dicto legi ſolere, ubi dicitur: *Myſterium Regis abſcondere, bonum eſt*: Meminimus etiam, Paulum ad Corinthios, adhuc in fide parvulos, quædam Dei eloquia occuluiſſe.... Ergò intelligimus, *quædam nos cordis noſtri ſecreta continere, quæ divulgata inexpiabilis peccati culpam comparabunt.* Quia cùm cætera peccata, ſecundùm differentias rerum, aut in nos ipſos, aut in alios exercentur; tamen tum fierent in Deum propria; cùm, *quæ occultorum cordium eſſent condenda ſecreto*, hæc in prophanæ cognitionis ſcientiam prodantur.

Id. præfat. in pſalm. His maximè *tribus linguis* (Hebræâ, Græcâ & Latinâ) Sacramentum voluntatis Dei, & beati regni exſpectatio prædicatur.

Athan. in 1. *ep. ad Epheſ. in hac verb. Sic nos exiſtimet homo, ut Dei miniſtros.* Cùm verò diſpenſatores appellat Doctores, indicat, quòd *haud temerè debent Dei ſermonem impertiri; ſed tempus per eos opportunum & modus ſervandus eſt*, cùm illum impertiunt: quia etiam nec myſteria ipſa aperienda ſunt cunctis. Non enim vel prudentis eſt viri,

ri, vel ritè credita diſpenſantis, *paſſim illa & ſine delectu omnibus patefacere.*

Chryſ. hom. 3. *de Lazar.* Quòd ſi non intelligamus, quæ continentur in ſacris libris: maximè quidem, *etiamſi non intelligas illic recondita*, tamen ex ipſa lectione multa naſcitur ſanctimonia.

— *Aug. l. de bapt. c.* 25. Multi irruunt in preces, non ſolùm ab imperitis loquacibus, ſed etiam ab hæreticis compoſitas; & per ignorantiæ ſimplicitatem non eas valentes diſcernere, utuntur eis, arbitrantes, quòd bonæ ſint: *nec tamen, quod in eis perverſum eſt, evacuat illa, quæ ibi recta ſunt*; ſed ab eis potiùs evacuantur.

Gerſ. in 4. *part. ſerm. de Nativit. Chr.* In Exodo legitur, cùm legem Deus daret Moyſi in monte Sinai, ipſum ſub corporalis mortis pœnâ prohibuiſſe & ſpiritualis, ne quiſquam præter Moyſen montem aſcenderet, ad videndum *& inquirendum, quid Deus faceret;* quia nolebat eos curioſos eſſe; ſed ut haberent firmam fidem, *& ſimplicem credulitatem eorum, quæ dicebantur eis.* In ſignum hujus prohibetur, ne populus intret in ſancta.

Cenſ. facult. Par. propoſ. 5. *Eraſm. Indecorum vel ridiculum potiùs videtur, quòd Idiota & muliercula, Pſittaci exemplo, pſalmos ſuos & precationem Dominicam immurmurant, cùm ipſi, quod ſonant, non intelligant.* Hæc propoſitio, ſimplices Idiotas & mulierculas ab oratione vocali juxta ritum & conſuetudinem Eccleſiæ perperàm retrahens, *ac ſi inutilis eſſet, niſi ab eis intelligatur*, impia eſt & erronea, viam præbens errori Bohemorum, qui Officium Eccleſiaſti-

Digitized by Google

cum in Idiomate vulgari celebrare conati ſunt. Alioquin in lege veteri indecorum fuiſſet & ridiculum, ſimplicem populum ex Dei inſtituto ceremonias legis obſervare, quas non intelligebat.

§. III.

Qualificatio Propoſitionis.

PAulò ante promiſimus oſtendere, propoſitionem hîc agitatam eſſe omninò falſam, perniciosam, injurioſam Eccleſiæ, ejuſque uſibus: quod per ordinem demonſtratur.

1. Hæc propoſitio eſt *falſa*; conſtat enim ex facto, à nemine controverſo, Eccleſiam univerſalem in uſu publico & communi Scripturarum, quibus officium divinum componitur, ſemper adhibuiſſe unam ex tribus linguis, quas titulus, cruci Chriſti affixus, mirificè condecoravit, nimirum Hebraicam, græcam & latinam, quamvis jam dudum ceſſaverint eſſe in uſu vulgari plebis, & quamvis currentibus quatuor primis ſæculis nunquã in linguas vulgares tranſcriptæ fuerint, ne quidem ab hæreticis, plurimùm prurientibus, eam corrumpere, & ad ſcopum ſuum transponere. Dein vult regula S. Auguſtini, (*a*) quòd aliquid, in totâ Eccleſiâ obſervatum, cujus uſus & praxis eſt immemorialis, nec ſcitur ejus principium, ſit tenendum pro traditione Apoſtolicâ. Jam verò videmus in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Hiſpaniâ, & in toto Oriente Catholicos non uti in Officiis divinis aliâ lingua niſi vel græcâ vel latinâ; nec aſſignari unquam poterit tempus, quo hic uſus incæperit: ergò manifeſtum eſt, juxta S. Au-

(*a*) L. 4. cont. Donat. cap. 24.

guſtinum, talem uſum eſſe ex traditione Apoſtolica. Accedit, quòd ſi neceſſe foret Breviaria & Miſſalia traducere in linguam vulgarem pro unione vocis populi cum voce Eccleſiæ; ex eadem ratione neceſſaria quoque foret vulgaris verſio non ſolùm in Idioma Gallicum, ſed & in Britannicum inferius, ſive Armoricanum, in Arvernum, in Provinciale, inque alias linguas innumeras, campeſtribus accolis, genuinum & purum Gallicum ignorantibus, familiares. Egregia occupatio pro Janſenianis! labor dignus & debitus eorum Zelo præpoſtero, reformandi diſciplinam Eccleſiæ!

2. Eſt etiam hæc propoſitio *perniciosſa*, patet enim, non paucos ex inſipida plebe abuſuros pleriſque textibus Scripturarum, quibus Officium divinum conſtruitur: in Exemplo: quàm devotas impreſſiones cauſarent in nonnullis juveneſcentis luxuriæ perſonis verba illa ex Canticis Canticorum? *oſculetur me oſculo oris ſui; meliora ſunt ubera tua vino; læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me?* taceam multò expreſſiora, magiſque ſpecialia: quid ſentirent illi, quorum Deus caro & venter eſt, de polygamia, ſeu multitudine uxorum apud veteres Patriarchas uſitatâ? Quid de Sara, Lia, Rachel, quæ ſuis maritis tradiderunt ancillas concubinas? quid de inceſtu Thamar, & filiarum Loth? de mendacio Judith? de ejus conatibus, Holofernem ad amorem ſollicitantibus? quid de implacabili vindictâ Eſther & Mardochæi verſùs inimicos, aliiſque factis extraordinariis, quæ non ſine elogio recitantur in ſacris paginis?

annon meritò pertimeſcendum, ne quiſpiam tentatus æmulari ejuſmodi exempla, vel ſacræ Scripturæ imitator impius, vel contemptor ſacrilegus evaderet? nemo ſenſatus periculum ignorat, cui praxis iſthæc, pſeudo-Apoſtolica, exponeret ingentem numerum perſonarum rudium atque ſimplicium, quibus fermè potiſſima pars populi conglobatur.

3. Hæc propoſitio eſt etiam *injurioſa Eccleſiæ, ejúſque uſibus*, ac conſuetudinibus. Quanta enim ſit injuria Eccleſiæ, cùm dicitur, eam verſari à tanto tempore in praxi prorſus contraria praxi Apoſtolicæ, ac intentioni divinæ? annon ſic loquendo fatemur, Eccleſiam non ampliùs gubernari à Spiritu ſancto, non ampliùs operari ex ejus afflatu & lumine? illi, qui attentant Eccleſiam temerario auſu reformare, non longè diſtant ab impiis hujuſmodi opinionibus, ut deinceps luculentiùs demonſtrabitur.

PROPOSITIO LXXXVII.

MOdus plenus Sapientiâ, lumine & Charitate eſt, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum Pœnitentiæ & Contritionis, & incipiendi ad minùs ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequàm reconcilientur.

PROPOSITIO LXXXVIII.

IGnoramus, quid ſit peccatum & vera Pœnitentia, quandò volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem. §. L.

§. I.

Senſus Naturalis Propoſitionum.

MOdus plenus ſapientiâ, lumine & charitate eſt, dare animabus, *in quocunque ſitu, aut ſtatu exiſtentibus*, tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati *& disgratiæ divinæ, in quo verſantur*; petendi ſpiritum Pœnitentiæ & Contritionis, & incipiendi ad minùs ſatisfacere juſtitiæ Dei *per ſatisfactionem, à Confeſſario vel à ſeipſis injunctâ*, antequàm reconcilientur *per ſacramentalem abſolutionem Sacerdotis.*

Quomodocúnque ad Sacramentum Pœnitentiæ diſpoſiti ſimus, ignoramus *ſemper*, quid ſit peccatum & vera Pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui *per abſolutionem ſacramentalem* poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius *à Dei gratiâ & Eccleſiæ unione*, ferre confuſionem *per dilationem abſolutionis ſacramentalis*.

„ Quanta ingemiſcendi cauſa! hîc ſuſpirat Author „ ſex Columnarum, (*a*) „ Quis non indoleat Epiſcopis Ze- „ latoribus, Confeſſariis exactis, iiſque omnibus, qui di- „ ligunt puritatem & ſanctitatem Chriſtianiſmi, cùm vi- „ det condemnari propoſitiones adminiſtrationem Sacra- „ menti Pœnitentiæ concernentes...... Quis unquam „ prævidiſſet, aliquando per Bullam Pontificiam in fa- „ vorem Francolini ferendam eſſe deciſionem contra „ S. Carolum, contra Synodos Cleri Gallicani, contra „ Cardinales, Aguirium, de Noris, Grimaldum, Camum,

(*a*) pag. 303. 317. col. 4.

„ & contra maximos Epiſcopos diverſarum partium Ec-
„ cleſiæ? verbo, contra traditionem & Patres, contra
„ principia & prima fundamenta Chriſtianiſmi? " Ad hæc verba adeò temeraria nónne viciſſim & meritò exclamandum alternante ſuſpirio? *Quanta ingemiſcendi cauſa!* quis non indoleat Catholicis, Eccleſiam Matrem tenerè diligentibus; cùm videt Authorem in gremio regni Catholici tantâ inſolentiâ, & quidem impunè ſeſe erigentem contra deciſiones Sacræ Sedis Apoſtolicæ; quis non indignetur, audiens, tam indignè tractari Vicarium Jeſu Chriſti, ac communem fidelium Patrem, libello publico? *quis unquam prævidiſſet*, Bullam Pontificiam, tot inſtantiis ſolicitatam & ab Epiſcopis & à Rege, acceptatam à Corpore paſtorali, receptam in Parlamento ſeu Conſilio Regni, confirmatam inſtrumentis patentibus Majeſtatis, quis unquam prævidiſſet, hanc Bullam in facie totius Eccleſiæ temerè accuſandam, quaſi damnâſſet traditionem Apoſtolicam, violâſſet doctrinas Patrum, Epiſcoporum declamatæ Sanctitatis, atque ſubvertiſſet principia & fundamenta Chriſtianiſmi? hæc merentur non ſuſpiria tantùm, ſed lachrimas, ſed ſanguineas lachrimas. *Uſquequò Peccatores Domine, uſquequò peccatores gloriabuntur, effabuntur & loquentur iniquitatem? loquentur omnes, qui operantur injuſtitiam? populum tuum Domine humiliaverunt*, Caput populi tui Summum Paſtorem contumeliis & mendaciis aggravando, *& hæreditatem tuam vexaverunt*, doctrinas ſuas erroneas diſſeminando uſque-

qua-

quaque, & defenſando rebelliones ſuas pertinaciâ ſcandaloſâ ſub doloſâ reformationis imagine!

Sub his fallacibus umbris larvati circumeunt Sacræ Sedis hoſtes, ſuggerentes plebi cogitationes ſeditionis contra ſupremam Authoritatem, ſuadentes vulgo, Papam damnâſſe in propoſitionibus Quenellinis modum, Sapientiâ, Lumine & Charitate plenum, Confeſſariorum, qui in certis caſibus & circumſtantiis differunt ſuis pœnitentibus abſolutionem; inſtillantes fidelium auribus, Papam voluiſſe introducere, & actu manu-tenere exectabilem relaxationem Confeſſariorum audacium, qui confeſtim & indifferenter ad omnes peccatores, ſuis tribunalibus ſe ſiſtentes, ſacramentalem abſolutionem profanant. Inepta calumnia! inſolens impoſtura! quæ cùm immediatè inſultet Capiti Eccleſiæ ſine omni veritatis ſpecimine, meretur pœnas rigoroſiſſimas.

Profectò, ut poſſit dici ſub aliquali indicio Veritatis, Papam damnâſſe prudentem procedendi modum Confeſſariorum, abſolutionem ſuis pœnitentibus differentium in certis caſibus & circumſtantiis, condemnando nimirum has duas propoſitiones Quenelli, omninò opus eſt, ut prudens ille procedendi modus exprimatur in his propoſitionibus, aut eruatur ex ſenſu earum proprio & naturali; Quis verò tam obcæcatus, qui non videat, nullum prorſus veſtigium, nullam Ideam hujus prudentis modi in allatis propoſitionibus delineari? imò quis non videt totum contrarium prudenti modo procedendi? quis

inquam, non videt, has propoſitiones non loqui de certis quibuſdam peccatoribus in ſpecie, ſed de omnibus in genere, ſine differentiâ aut diſtinctione?

Quenellus non dicit, eſſe modum plenum Sapientiâ, dare *certis quibuſdam animabus* tempus portandi & ſentiendi ſtatum peccati: ſed dicit, eſſe modum plenum Sapientiâ, dare *animabus* &c. Ejus propoſitio eſt indefinita, & per conſequens generica: adeóque loquitur de omnibus peccatoribus, cujuſcúnque ſint characteris, in quibuscunque occurrant circumſtantiis, non autem de nonnullis in particulari. Nónne hoc manifeſtè patet?

Nec minore evidentiâ oſtenditur error Quenelli in propoſitione LXXXVIII. *Ignoramus*, inquit, *quid ſit peccatum & vera Pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit*; hoc eſt; quando ſtatim volumus abſolvi ſine dilatione: Igitur dilatio abſolutionis juxta Quenellum cadit præcisè & unicè ſuper ipſam naturam peccati, genericè ſumpti, & non ſuper caſus particulares aut diverſas circumſtantias, peccatum aliquod ſpeciale concomitantes. Ergò Quenellus vult dicere, omnes peccatores, in qualicunque reperiantur conditione, charactere, ſitu & ſtatu, non debere ægrè ferre, quando ipſis recuſatur abſolutio; quia, ut ait, *ignoramus malitiam peccati*, ac ingentes obligationes veræ pœnitentiæ, ſi volumus ſtatim reconciliari, antequàm aliquo tempore portavimus & ſenſimus ſtatum peccati, & incepimus ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei per praxin bonorum operum, ac per exercitium pœnitentiæ rigoroſæ.

Hæc

Hæc eſt recens illa diſciplina, quam Janſeniani profeſſo ſtudio laborant introducere in Eccleſiam. Itaque ſub fallace Simulacro reformationis conantur elongare fideles Chriſtianos à Sacramentis. Secundùm ipſos differenda eſt abſolutio non ſolùm pœnitentibus habituatis, recidivis, in occaſione proximâ peccati mortalis verſantibus; non ſolùm illis, qui nolunt reſtituere, aut condonare, aut hærent in ignorantiâ vincibili & peccaminoſâ veritatum fidei, vel obligationum ſui ſtatûs, non ſolùm denique omnibus illis, qui expreſsè notantur in inſtructionibus S. Caroli: ſed univerſis peccatoribus, qui Deum mortaliter offenderunt; qualemcunque teſtentur dolorem de perpetrato peccato, qualiacunque præbeant ſpecimina veræ Contritionis, & firmi propoſiti, potiùs moriendi, quàm relabendi. Dandum eſt ipſis tempus, ajunt Janſeniſtæ, portandi & ſentiendi funeſtum ſtatum peccati, & incipiendi ad minùs ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequàm reconcilientur.

Aliter procedere, eſt ignorare, quid ſit peccatum, aut vera pœnitentia, inquiunt hi Rigoriſtæ cum Authore ſex Columnarum, aliter in Confeſſionali ſe gerere, eſt teſtimonia Scripturæ de difficultate recuperandi gratiam innocentiæ, ex mortali noxâ amiſſæ, in fabulam vertere, ac tanquam vanas & inanes exaggerationes diffamare. Hæc difficultas recuperandi gratiam penes Janſenianos ſuperari nequit, niſi pœnoſo exercitio prolixæ & auſteræ pœnitentiæ, quæ ſemper & in omni caſu debet præcedere abſolutionem.

Vix meliùs probatur, hanc eſſe mentem & genuinam ſententiam Quenelli ejúſque Apologiſtæ, quàm ex immeritâ objurgatione ejuſdem Apologiſtæ, quâ invehitur in Epiſcopum Vapincinum, Dominum *Maliſſoleſium:* ſic enim de Altefato criminatur: (*a*) „ Epiſcopus Vapincinus „ in ſuo mandato, quo intimat condemnationem novi „ Teſtamenti Quenelli, prætendit, dandam eſſe illicò „ abſolutionem homini, in fornicationem prolapſo, ſi „ conatus ſit aliquot horis, deſuper concipere dolorem. „ S. Victorinus ſuper Apocalipſin pag. 571. Tomo primo „ Bibliothecæ Patrum, annotat, eſſe errorem infamium „ Nicolaitarum, reconciliare fornicatores, octo tantùm „ diebus poſt peccatum commiſſum. Quàm glorioſum „ eſt Domino Vapincino, his hæreticis aſſimilari, tenendo, ut tenet, impertiendum eſſe beneficium abſolutio„ nis peccatori, in Venerem prolapſo, paucis tantùm ho„ ris poſt crimen perpetratum! "

Poſsítne quis apertiùs ſe declarare pro rigoriſmo exotico, quàm ſe hîc declarat Author ſex Columnarum, vellicando ſententiam Epiſcopi Vapincini, quem inſimulat innixum erroribus hæreticorum primæ abominationis? quippe, quòd propriè loquendo non hîc ſit quæſtio, an abſolvi debeat Peccator in flagranti deprehenſus, ac calido adhuc crimine fumigans. Omnes noverunt, Spiritum pœnitentiæ non acquiri ex abrupto, meritóque timeri, ejuſmodi peccatorem, ſubito impetu à volutabro ad menſam & tribunal Domini properantem, ordinariè ſine requiſitis diſpoſitionibus reperiri. Hîc agi-

(*a*) pag. 323. col. 6.

Digitized by Google

tur, & quæritur, utrùm homo ſemel duntaxat in fornicationem ſeu Venerem prolapſus, & conſequenter nec recidivus, nec occaſioni proximæ expoſitus, ſine abſolutione ſit dimittendus etiam tunc, quandò pluribus horis interpolatis veniam à Deo petiit, & dolore in ſe excitato, ſacrum Confeſſionis tribunal acceſſit? ita certè; reſpondet Author ſex Columnarum, dimittendus eſt: Et pro quanto temporis intervallo ſic dimittendus? pro octo diebus? quàm horribilis relaxatio! exclamat Author ſex Columnarum: hic eſt error infamis Nicolaitarum! non ſolùm irreconciliatus dimittatur pro Octiduo, ſed ſi credas his Reformatoribus, per plures menſes, per integros annos abſolutione careat; ut detur ipſi tempus portandi & ſentiendi ſtatum peccati, & incipiat ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequàm reconcilietur.

Ecce genuinam & certam ſententiam Queneſſi, ejúſque Apologiſtæ; & quantum deſudat poſterior iſte conglobando innumeros Patrum textûs pro robore infirmæ ſuæ opinionis? Quid verò probant omnes tanto labore coacti textus illi? planè nihil aliud, niſi quòd olim exegerit diſciplina Eccleſiaſtica, ut majores peccatores ſubiicerentur pœnitentiæ ante reconciliationem: quæ diſciplina tunc temporis violari haud poterat ſine crimine & ſine ſcandalo, quam tamen infringebant quidam hæretici nimis faciles in concedendâ reconciliationis gratiâ, in laxandis Eccleſiæ foribus, contra præſcriptum antiquorum Canonum.

Cúm verò hæc diſciplina jam non ſit in uſu & vigore in Eccleſiâ, cùm hæc Chriſti Sponſa, ſemper afflata divino Spiritu, ex juſtis cauſis conſultum duxerit, veterem illam ſeveritatem mitigare; nónne intollerabilem ſapit præſumptionem, velle abſque Eccleſiæ commiſſione vel Authoritate eam denuò reſuſcitare, & in Eccleſiam introducere? Videndum modò eſt, quid Scripturæ & Patres dicant contra hunc Rigoriſmum exorbitantem Janſenianorum.

§. II.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

Math. 9. 2. Dixit paralitico: confide, fili, *remittuntur* tibi peccata tua.

Luc. 7. 48. Dixit mulieri, (peccatrici) *remittuntur* tibi peccata tua.

Joan. 10. 10. Dixit Jeſus, (ad mulierem adulteram) nec ego te condemnabo: *Vade*, & jam ampliùs noli peccare. *Reſt.* Si verum ſit, quod dicit Quenellus, profectò Chriſtus non exercuit modum illum, plenum ſapientiâ, lumine & charitate, eò quòd his animabus peccatricibus non dederit tempus portandi & ſentiendi pondus, ac ſtatum peccati, atque ſatisfaciendi juſtitiæ Dei, antequàm reconciliarentur. Ignorabat certè juxta hunc Novatorem, quid ſit peccatum, & vera Pœnitentia, eò quòd voluerit animas iſtas ſtatim reſtituere poſſeſſioni bonorum illorum, quibus peccatum eas ſpoliavit.

Conc.

Conc. Trid. Seſſ. 14. *c.* 8. Debent ergò Sacerdotes, in quantum tempus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, *ſalutares & convenientes* ſatisfactiones injungere.... Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, *ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam &c.*

Id. Seſſ. 6. 7. 14. *dogmaticè exponens partes pœnitentiæ, poſuit* 1. Cor contritum & humiliatum. 2. Sacramentalem Confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam. 3. Sacerdotalem abſolutionem; *denique ſatisfactionem*: Ita omnia ritualia. *Reſp.* Unde concluditur contra Quenellum, non opus eſſe, ut ſatisfactio præcedat abſolutionem, neque ex toto, neque ex parte.

Cypr. de Cæna Dom. c. 7. Nec quantitas criminis, *nec brevitas temporis*, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas excludit à venia.

Ambr. l. 2. *de pœnit. c.* 9. Sunt, qui arbitrantur, *hoc eſſe pœnitentiam, ſi abſtineant à Sacramentis cæleſtibus.* Hi ſeveriores in ſe judices ſunt, qui pœnam præſcribunt ſibi, remedium declinant: quos vel pœnam ſuam conveniebat dolere, quia cæleſti fraudantur gratiâ.

Chryſ. ep. 5. *ad Theod.* *Quamquè quis horam impendens*, vel unum dixerit verbum (verbi gratia cum Davide, *peccavi*) in *eo momento* totius vitæ peccata ſimul abſtergit.

Aug. in pſalm. 63. Nónne, ſi vis, hodie fit, *ſi vis, modo fit.* Ecce nunc loquor, muta cor, & factum eſt.

Reſp. Ergò non requiritur adeò prolixum tempus, ut quis

ſe diſponat ad abſolutionem ſacramentalem; quidquid exigant Janſeniani.

Id. de agon. Chr. c. 30. Nuſquam tam vigere debent viſcera miſericordiæ, quàm in Eccleſiâ Catholicâ; ut tanquam vera Mater nec peccantibus filiis ſuperbè inſultet, *nec correctis difficilè ignoſcat.*

Et cap. 31. Veniam peccatorum negare, ægris eſt ſubtrahere medicinam.

Leo Mag. ep. 91. In diſpenſandis itaque Dei donis *non debemus eſſe difficiles*, nec accuſantium ſe lachrimas, gemitúſque negligere: cùm ipſam pænitentiam Dei credamus inſpiratione conceptam.

Greg. Mag. hom. 26. *in Evang.* Quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, *illos Paſtoris ſententia abſolvat*.... Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsâ jam cognoſcitur confeſſione peccati. *Reſp.* Non ergò tam diuturnâ probatione aut præviâ ſatisfactione opus eſt.

Id. l. 7. *Regiſt. Indict.* 1. *c.* 12. *ep.* 12. *ad Sabinia. Epiſc.* Sicut perſeveranti culpæ debetur à jure vindicta: ita reſipiſcentibus *eſt venia concedenda.*

Id. ibid. ind. 2. *c.* 53. *ep.* 53. *ad Secundin.* Si Redemptor, qui peccatores non perdere, ſed juſtificare venit, in oblivione peccantium delicta reliquit; *quis hominum condemnanda reſervat?*

Ep. Cler. Rom. ad S. Cypr. Tom. 1. *Conc. abb. p.* 662. Nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pænitentes *accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem.*

Gloſſ. decret. in decret. Grat. fol. 421. Potiùs debemus proniores eſſe *in abſolvendo*, quàm condemnando.

Inſtruct. S. Caroli ad Confeſſ. in act. Eccl. Mediolan. part. 4. *pag.* 651. Ubi ergò pænitens hæc (doctrinæ Chriſtianæ rudimenta) ignoraverit, ſi quamprimùm ad ea diſcendum non acquieverit, abſolvi non debet.... *Quòd ſi nondum monitus fuerit*, (de obligatione addiſcendi) *abſolvatur quidem*; ſed de ſupradictis, ut poterit, inſtruatur.

Ibid. pag. 652. Quòd ſi id ſe acturos polliceantur, (Patres & Matres-familias, nempè curam diligentiorem in familiæ ſuæ educatione adhibituros) nondum ſcilicet à Confeſſore de his moniti, *poterunt abſolvi*; ſed ſi ſæpiùs moniti nullàtenus emendati fuerint, proroganda eis erit abſolutio, donec emendationis argumenta ſincera dederint.

Ibid pag. 653. Si his, aliiſque ejuſmodi polliceatur uti præſervativis (contra occaſionem proximam peccati) *tunc poterit abſolvi. Reſp.* Manifeſtè patet ex tribus his præmonitionibus S. Caroli, præcipuè ex tertiâ, quòd ſanctus hic Antiſtes nolit abſolutionem differri omnibus peccatoribus, ſed tantùm quibuſdam in certis caſibus. Sequentes ejus textus non ſunt minoris efficaciæ & deciſionis.

Ibid pag. 654. In iis exercitiis & operibus .... quæ ad malum inclinant... Si homo peccare conſueverit, nequaquam debet abſolvi, niſi primò ea omninò dimiſerit, & pollicitus fuerit, ab eâ ſe occaſione ſeparaturum. Quòd ſi Confeſſori viſum fuerit ex primâ, aut ſecundâ pænitentis pollicitatione, eum occaſionem hanc dimiſſurum, *poterit eum abſolvere*; abſolutionem autem differat; ſi promiſſis non ſteterit, donec emendatam fuiſſe omninò hanc occaſionem agnoverit.

Digitized by Google

Ibid. pag. 655. Adhibitis à Confeſſore his diligentiis, ſi ratio non occurrat, ob quam negare, aut differre abſolutionem teneatur, *faciat, ut pœnitens confeſſionem finiat.*

Ibid. pag. 658. Ad *frequentes* etiam *confeſſiones* & Communiones eos hortentur; ita, ut pro S. Auguſtini conſilio, *omni Dominicâ ad communionem accedant. Reſp.* Non ergò tam difficiles ſimus in dandâ abſolutione, ut ſunt Directores Janſeniani.

§. III.

Qualificatio Propoſitionis.

COncludamus igitur, has propoſitiones ſimul eſſe falſas, pernicioſas, malè ſonantes, injurioſas Eccleſiæ ejúſque uſibus, ac denique jam damnatas.

1. Hæ propoſitiones *ſunt falſæ*: Siquidem nihil à vero remotius ſit, quàm eſſe *modum, plenum ſapientiâ, lumine & charitate*, abſolutionem differre omnibus peccatoribus, in quocunque verſentur ſitu aut ſtatu: quis enim non videt, talem modum oportuniſſimum fore, ad fatigandam, aut exturbandam patientiam peccatoris? quis non advertit, ejuſmodi modum elongare peccatores à Sacramentis, reddens eorum uſum & acceſſum nimis odioſum & difficilem, & per conſequens promovere ad deſperationem, & diſſolutionem. Æquè falſum eſt, *nos ignorare, quid ſit peccatum, ſi velimus ſtatim reconciliari cum Deo*; etenim præciſè ex cognitione enormitatis peccati, ejúsque malitiæ, ex apprehenſione malorum propemodùm infinitorum, animabus noſtris accreſcentium in ſtatu diſgratiæ, accelerandum potiùs eſt ad piſcinam ſalutarem

rem

rem Sacramenti pœnitentiæ, ut quantociùs abluamur, nec tardemus converti ad Dominum. Peccatum nos reddit mortales Dei inimicos, nóſque exponit periculo damnationis æternæ; amor, quem Deo debemus, quem erga nos-ipſos ratio exigit, nónne ſubdit calcaria hebetudini noſtræ, ut ruptâ morâ deſeramus ſtatum tam deplorabilem? hæc veritas tam ſolida, tam valida videtur, ut nonnulli Theologorum doceant, quòd homo, qui ſe agnoſcit reum lethalis culpæ, obligetur ſub pœnâ novi peccati mortalis incurrendi confeſtim ſe conferre ad remedium pœnitentiæ, & quòd toties mortaliter Deum offendat, quoties abiicit cogitationem reconciliationis, aut quoties negligit proficere ex occaſionibus occurrentibus. Quid dicendum poſthæc de crudeli rigore Directorum Janſenizantium, qui indiſcretâ negatione abſolutionis jubent peccatorum majorem partem per menſes & annos in peccatis computreſcere? qui pœnitentes ſuos tam viſibili damnationis æternæ exponunt diſcrimini? Quis non advertit, modum agendi adeò exorbitantem non minùs eſſe *pernicioſum*, quàm falſum.

2. Hæ propoſitiones ſunt quoque inſigniter *malè ſonantes.* Quàm lædunt aures & intellectum verba Quenelli, *dandum eſſe animabus tempus portandi, & ſentiendi ſtatum peccati!* nónne jugum peccati eſt onus graviſſimum, pondus maximè opprimens? nónne hoc onere confeſtim & continuò ad deteriora deprimimur? nónne ſub hoc jugo ducimur & ad nova peccata, & ad ſupplicium peccati ſempiternum? nónne hic ſtatus diſgratiæ

eſt terribilium omnium terribiliſſimum, mors ſecundâ? quo igitur fundamento præſumit Quenellus, concedendum eſſe animabus tempus, ut ſentiant hoc jugum, ut portent hoc pondus, hunc ſtatum inimicitiæ Dei?

Deinde quid dicendum, quid cogitandum de Quenello, cùm docet propoſitione LXXXVIII. *Ignoramus quid ſit peccatum, quando detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem?* qualis eſt ſeparatio iſthæc, cujus confuſio portanda eſt juxta Quenellum? agitúrne de ſeparatione à Corpore Eccleſiæ, vel de ſeparatione à Deo per peccatum? Inſimul de utroque agitur: quippe, quòd Quenellus velit, *hominem ſeparari ab Eccleſiâ, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.* Principaliter tamen agitur de ſeparatione peccatoris à Deo per peccatum: de ſeparatione, inquam, longè terribiliſſimâ, malorum omnium anteſignanâ. In hac ſeparatione vult devotus Quenellus pœnitentes perſeverare cum humilitate & ſubmiſſione, quandoquidem velint verè cognoſcere, quid ſit peccatum aut vera pœnitentia. En novum Eccleſiæ Canonem, impium, inſenſatum!

3. Hæ propoſitiones ſunt *injurioſa Eccleſiæ ejúſque uſibus.* Solet Eccleſia abſolutionis beneficium ſine dilatione impertiri illis Peccatoribus, qui non innodantur caſibus & circumſtantiis notatis à S. Carolo Borromæo. Verùmtamen Quenello non arridet hæc praxis; penes ipſum ſic procedere, eſt agere *ſine prudentiâ, ſine lumine, ſine charitate;* eſt ignorare, *quid ſit peccatum, quid ſit vera pœnitentia:* imò verò cum Quenello ſentire, eſt ſacro-ſanctam Eccle-

ſiam

ſiam temerariâ fronte inhonorare, ac injuriis attrociſſimis laceſſere.

4. Hæ propoſitiones *jam olim ſunt damnatæ.* Petrus de Uxana docuit, pœnitentes abſolvendos non eſſe, niſi priùs injunctam peregerint pœnitentiam. Hæc propoſitio fuit damnata à Sixto IV. A. 1428. Alexander VIII. etiam damnavit ſequentes propoſitiones, eandem materiam reſpicientes.

Praxis abſolvendi poſt ſatisfactionem non eſt introducta per diſciplinam aut inſtitutionem Eccleſiaſticam, ſed provenit ab ipſâ lege & ordinatione Chriſti. Sic exigit natura rei. propoſ. XVI.

Per illam praxin mox abſolvendi ordo pænitentiæ eſt inverſus. propoſ. XVII.

Eccleſia non tenet pro uſu ſed abuſu conſuetudinem modernam circa adminiſtrationem Sacramenti pænitentiæ, tametſi hæc praxis multorum authoritate firmetur, ſítque roborata longâ ſerie annorum. Propoſ. XVIII.

Nemo non palpat, Quenellum duabus propoſitionibus hîc agitatis renovare hos omnes errores: *ignoramus*, inquit, *quid ſit peccatum ac vera pænitentia, quando ſine dilatione protinùs reconciliamus peccatores*, ergò *natura* peccati & pœnitentiæ *ſic exigunt*, ut differatur beneficium reconciliationis: ergò per praxin *mox abſolvendi ordo pænitentiæ eſt inverſus.* Hæc patent evidenter, nec indigent nimiâ probatione.

Neque minùs manifeſtum eſt, Quenellum hîc renovare propoſitionem Petri de Uxanâ, docentis, *pænitentes abſolvendos non eſſe, niſi priùs injunctam peregerint pænitentiam*, quando reflectit, *peccatoribus dandum eſſe tempus, quo incipiant ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequàm reconcilientur.*

Digitized by Google

Reclamat Apologiſta; "Quenellus hîc non dicit, quòd „integra ſatisfactio præcedere debeat abſolutionem: „contentus eſt dixiſſe, quòd peccatori dandum ſit tem„pus incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei; & „quidem ipſemet explicat, quænam ſint hæc initia ſa„tisfactionis, reflectendo in caput 3. S. Math. *Pars pœ„nitentiæ eſt*, ait, *portare confuſionem ſuorum peccatorum, ea „confitendo.* Ergò conſiſtunt hæc initia pœnitentiæ & in „confeſſione ſuorum peccatorum, & in humiliatione, „confeſſionis hujusmodi comite."

Profectò difficile eſt, ſibi temperare ab irâ & indignatione, audiendo reſponſum, in quo tum impudentia tum mala fides tam ſenſibili amplexu obviaverunt ſibi: Qualem enim verò hæ duæ reflexiones Quenelli ad invicem dicunt relationem, ut una poſſit ſervire alteri pro explicatione? prior ſit in caput 3. Mathæi; poſterior in caput 9. Act. Apoſtolorum. Una loquitur de ſatisfactione, ad quam præſtandam Confeſſarius poſt auditam confeſſionem tenetur concedere tempus & moram ante abſolutionem; altera loquitur de confuſione & humilitate, quæ ſemper debent comitari confeſſionem ſacerdoti factam. Nónne hæc eloquia ex toto differunt? quis niſi inſenſatus audebit aſſeverare, memorata duo eſſe unum & idem? Verum eſt, quòd ſit pars pœnitentiæ, *portare confuſionem peccatorum, ea confitendo*: nequaquam autem in binâ propoſitione Quenelli agitur de hâc parte pœnitentiæ, Confeſſionem eſſentialiter & neceſſariò concomitante: agitur de pænitentia, quam Confeſſarius imponit pænitenti, vel quam pœnitens

ex conſilio Confeſſarii ſibimet ipſi injungit. Et de hâc dogmatizat Quenellus, quòd præcedere debeat abſolutionem ſacramentalem ad minus ex parte : Ergò plenâ meridie clariùs patet, hîc renovari errorem Petri de Uxanâ, damnatum à Sixto IV. & quòd ſummus Pontifex Clemens XI., damnando has Quenelli propoſitiones, non niſi confirmet Cenſuram latam à Sixto IV.

PROPOSITIO LXXXIX.

QUartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quòd, cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

QUartus decimus gradus converſiònis peccatoris eſt, quòd, cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi ſacrificio Miſſæ, *quod jus ante reconciliationem peccator non habebat.*

Non hîc controvertit Author ſex Columnarum ſenſum proprium & naturalem hujus propoſitionis. Securus de juſtitiâ & bonitate ſuæ cauſæ in ſe ſuſceptæ, fidenter, nec minimum reluctando fatetur, peccatores, qui necdum ſunt reconciliati, non habere jus aſſiſtendi ſacrificio Miſſæ : " Viſibile eſt, inquit, (*a*) quòd, ſi „ peccatores hodiè aſſiſtant ſacrificio Miſſæ, id fiat ex „ gratiâ ſpeciali Eccleſiæ, non ex juſtitiâ; præcisè lo„ quendo, non acquiritur jus aſſiſtendi Miſſæ, niſi in in-

(*a*) pag. 321. col. 4.

„ ſtanti reconciliationis: hoc totum eſt, quòd conſidera-
„ verat Quenellus in ſuâ reflexione; longè abſit ab eo,
„ quòd voluerit reprehendere prudentem Eccleſiæ in-
„ dulgentiam, quam hodiè practicat.“ Igitur ſolùm eſt quæſtio, quomodò hæc propoſitio, prout eſt conceſſa in ſuo ſenſu proprio & naturali ab ipſo Authore ſex Columnarum, ſit erronea tam in ſuo principio & fonte, quàm in ſuis conſequentiis, neceſſariò effluentibus.

1. Hæc propoſitio eſt erronea in ſuo principio, cùm ſit falſiſſimum, quòd peccator irreconciliatus non habeat jus aſſiſtendi ſacrificio Miſſæ. Probatur: Si Peccator careat jure aſſiſtendi ſacrificio Miſſæ, neceſſariò ſequitur, hanc aſſiſtentiam ipſi eſſe prohibitam ex aliquo jure; Siquidem non habere jus aliquid agendi, & actionem aliquam eſſe prohibitam quodam jure, vel actionem eſſe contrariam alicui juri, ſunt omninò ſynonima; jam verò, quo jure prohibetur peccatori aſſiſtere ſacrificio Miſſæ? num jure divino, num Eccleſiaſtico? non datur medium: non Eccleſiaſtico, quippè quòd, fatente ipſo Authore ſex Columnarum, Eccleſia moderno tempore exerceat prudentem indulgentiam, & condeſcendat peccatoribus, ut interſint ſacrificio Miſſæ. Quamobrem, nolit, velit Apologiſta, tenetur fateri, monſtrandum eſſe aliquod interdictum ex jure Divino, ne peccatores interſint ſacrificio Miſſæ. Verùm enim verò quo libro, quo capite, quâ paginâ ſacræ Scripturæ extat hæc interdictio ex jure divino? nuſquam profectò. Et quidem ſolemniter provocamus Authorem Hexaplarum ad talem citationem. Ergò hæc prohibitio

Digitized by Google

ex jure divino eſt imaginaria; eſt conceptus Chimericus Hexapliſtæ.

Verùmtamen in patientiâ tantiſper audiamus ratiocinantem Quenelli Apologiſtam: „Pœnitentes, inquit, „(a) erant privati aſſiſtentiâ ſub celebratione divinorum „myſteriorum primis ſæculis, ſic ſtatuente diſciplinâ Ec„cleſiaſticâ..... Utique Eccleſia circa hos nullam tunc „exercuerit injuſtitiam; ergò manifeſtum eſt, eos nul„lum habuiſſe jus, aſſiſtendi celebrationi myſteriorum: „æquè manifeſtum & viſibile eſt, quòd ſi hodiè pænitentes aſſiſtant myſteriis, id fieri ex gratiâ Eccleſiæ, non ex „juſtitiâ." Ratiocinium vel commiſeratione vel riſu dignum: nec facilè capitur, quomodò viri, cæteróquin ingenio & eruditione præſtantes, hoc argumento ſupplantari potuerint, cùm tamen militet contra ipſum Hexapliſtam, ac probet totum contrarium. Quomodò hæc fieri poſſunt? attende & vide. Quid egit Eccleſia, quando nonnullis peccatoribus interdixit, ne aſſiſtant Myſteriis? ſine dubio non aliud egit, niſi eos privavit jure aſſiſtendi myſteriis: jure, inquam, quod acquiſîerunt per Sacramentum Baptiſmi, ex quo Sacramento, dum efficiebantur filii Eccleſiæ, ſimul quoque potiebantur jure participandi Myſteriis ejuſdem Eccleſiæ: jam ſi Eccleſia eos privavit hoc jure, utique jus illud habuerunt, antequàm eo privati ſint; nemo enim dicitur privari eo, quod non habet.

Cæterùm, quòd Eccleſia quoſdam peccatores privaverit jure realiſſimo aſſiſtendi myſteriis, hoc nemo negaverit, cùm illa prohibitio, ne aſſiſtant, fuerit pœna &

(a) Ibid. l. c.

punitio tranſgreſſionum : at verò imperceptibile eſt ; quomodò hæc prohibitio potuerit eſſe pœna & punitio reſpectu peccatorum, ſi per eam nullo jure, nullo commodo, quod antea habuerant, privati ſunt : ſine tali privatione juris certè prohibitio illa ad plurimum nihil aliud fuiſſet, niſi pura declaratio, peccatores perdidiſſe ſuum jus aſſiſtendi ſacrificiis ; non verò fuiſſet actus juriſdictionis & authoritatis, quam exercebat Eccleſia in ſuos filios. Igitur nemo ſe ſinat obcæcari argumento captioſo Hexapliſtæ, ſic ratiocinantis : Eccleſia non exercuit injuſtitiam erga peccatores, privando eos aſſiſtentiâ ſub celebratione divinorum myſteriorum , ergò non habebant jus aſſiſtendi. Conſequentia claudicat, eſt abſurda, & riſu digna ; non ſecùs, ac ſi concluderes : Magiſtratus non exercuit injuſtitiam, privando fures bonis vitæ & fortunæ, ergò fures antea non habuêre jus ad bona vitæ & fortunæ ſuæ. Idcircò præcisè Eccleſia privaverat peccatores, in punitionem tranſgreſſionum, jure aſſiſtendi divinis, quia anteà habuerunt tale jus aſſiſtendi.

Porrò, quis neſcit, Eccleſiam non privâſſe omnes omninò peccatores jure aſſiſtendi divinis myſteriis : non niſi quoſdam inſignes hoc jure exuit in pœnam peccati enormis & ſcandaloſi : imò poſtquàm ejuſmodi prævaricatores enormes percurriſſent certum pœnitentiæ ſtadium, ac attigiſſent quartum ordinem pœnitentium, qui appellabantur *conſiſtentes* , jam admittebantur ad ſacrificium adorabile uſque ad finem Lyturgiæ, quamvis necdum fuerint reconciliati per abſolutionis ſententiam.

Ergò

Digitized by Google

Ergò in omni ſenſu falſum eſt, generaliter pronuntiare, ut facit Quenellus, peccatorem irreconciliatum non habere jus aſſiſtendi ſacrificio Miſſæ.

2. Conſecutiones, ex hoc principio oriundæ, non minùs ſunt falſæ, nec minùs abſurdæ, quàm ipſum principium: hæ ſequelæ & conſecutiones ſunt, quòd omnis homo Chriſtianus, Miſſam audiens in ſtatu peccati mortalis, peccet mortaliter: & quòd Eccleſia nunquam potuerit remittere de veteri diſciplinâ primorum ſæculorum.

Secundùm prima principia Quenelli nihil clariùs, quàm quòd aſſiſtens Miſſæ in ſtatu peccati mortalis peccet mortaliter; quiſquis enim exercet actionem, jure divino prohibitam, peccat mortaliter, ſi ſit in materiâ gravi: Juxta Quenellum aſſiſtere ſacrificio Miſſæ prohibitum eſt peccatori, non ex jure Eccleſiaſtico ſed Divino, niſi priùs ſit reconciliatus, ergò toties peccatur mortaliter, quoties aſſiſtitur Miſſæ in ſtatu peccati mortalis: nónne hæc eſt demonſtratio?

Nec minùs evidens eſt, Eccleſiam nunquam potuiſſe temperare veterem rigorem & diſciplinam, ſi ſubſiſtat Quenelli principium: ad hoc enim, ut potuiſſet concedere peccatoribus aſſiſtentiam ſub ſacrificio Miſſæ, oportuiſſet diſpenſare in jure divino, vi cujus peccatores removentur à Sacrificio; atqui compertum eſt, Eccleſiam haud poſſe diſpenſare in jure divino: ergò nec potuit, nec poteſt peccatoribus concedere, ut aſſiſtant ſacrificio Miſſæ: ergò indulgentia hodie uſitata erga peccatores, quam Hexapliſta credere ſimulat, non jam eſt prudens

indulgentia, ſed tolerantia indigna, & abuſus ineptiſſimus, utique annumerandus illis abuſibus, & defectibus, qui ſunt *ſigna maximè ſenſibilia ſenectutis Eccleſiæ, & ira Dei in filios ſuos.*

§. II.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Concilijs & Patribus.

C. Miſſas, de Conſecrat. diſt. 1. Miſſas die Dominicâ *ſæcularibus* totas audiri ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis *populus* egredi non præſumat.

Colon. 1. *an.* 1556. *part.* 7. 24. Docendúſque *populus*, ut qui juxta antiquum Eccleſiæ ritum ſingulis Dominicis ad communicandum Corpori & Sanguini Domini non ſe præparat, Miſſæ ſaltem Parochiali hiſce aliiſque feſtis diebus interſit.

Et tit. 16. Qui autem non perſeverant in oratione, uſquedum Miſſa peragatur.... convenit communione privari. *Reſp.* Num in populo, quem Canones & Concilia jubent audire Miſſam, nulli reperiuntur peccatores necdum reconciliati? ſi non habeant jus aſſiſtendi Miſſæ, cur igitur ſacri Canones, & eadem Concilia hòs non excludunt?

Mediol. III. fol. 96. Cùm audiendæ Miſſæ rationem populum Parochus docet, *quo ex propitiatorio illo Sacrificio uberiorem fructum capere poſſit*, hoc eum ſæpè admoneat; ut campanæ ſigno dato, quo fideles ad Miſſæ ſacrum vocantur, ſeſe quiſquis colligens, ſi ſibi alicujus mortiferi peccati conſcius eſt, ſummo ex dolore affectus, vitæque

emendandæ certo ſtabiliſque propoſito ſuſcepto, ſupplex à Deo veniam petat. *Reſp.* Concilium non mandat, ut peccatores necdum reconciliati excludantur à Sacrificio Miſſæ: ſed dicit ſimpliciter, ſincerum dolorem ſtabiléque propoſitum emendationis concipiendum eſſe, nec non ſuppliciter veniam à Deo efflagitari debere, ut uberiorem ex hoc ſacrificio propitiatorio fructum capiant.

Trident. Seſſ. 22. *c.* 2. Sancta Synodus decernit, ſacrificium iſtud verè eſſe propitiatorium, pérque ipſum fieri; ut, ſi cum recto corde & verâ fide, cum metu & reverentiâ contriti, & pænitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in tempore opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, *gratiam, & donum pænitentiæ concedens*, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. *Reſp.* Illis, qui ſunt peccatores actuales, concedit Dominus hanc gratiam ex merito ſacrificii Miſſæ, cui aſſiſtunt.

Id Seſſ. 22. *de obſervand. & evitand. in celebrat. Miſſæ.* Neminem præterea, qui *publicè & notoriè* criminoſus ſit, aut ſacro Altari miniſtrare, aut ſacris intereſſe permittant. *Reſp.* Concilium non excludit peccatores occultos, quia duntaxat loquitur de peccatoribus publicis.

Greg. Mag hom. 37. *in Evang.* Mittamus ad hunc legationem noſtram ſacras hoſtias offerendo, *ſingulariter namque ad abſolutionem noſtram* ..... Nam quoties ei hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis *ad abſolutionem noſtram* paſſionem illius reparamus. *Reſp.* Ergò neceſſe non eſt, priùs reconciliari.

§. III.

Qualificatio Propoſitionis.

HÆc propoſitio eſt falſa, erronea, ſcandaloſa, injurioſa Eccleſiæ ejuſque uſibus.

1. Eſt *falſa*: cùm ſit à vero remotiſſimum, ullo jure, ullâ lege prohiberi peccatoribus, ne audiant Miſſam.

2. Eſt *erronea*: quia propoſitio, huic contradictoriè oppoſita, videlicet, peccatores peccando non perdere jus aſſiſtendi Sacrificio, videtur mediatè revelata; cùm neceſſariò ſequatur ex veritate fidei, quòd peccatores, profitentes fidem Eccleſiæ, ſint quoque membra Corporis Eccleſiæ: ex quo patet, hanc propoſitionem Queneili nihil aliud eſſe, quàm ſequelam fluidam & naturalem, ex ſententiâ ejus hæreticâ alibi pronuntiatâ, quòd nimirum peccatores non ſint de Eccleſiâ.

3. Eſt *ſcandaloſa*: quippe quòd peccatores inducat ad transgreſſionem præceptorum Eccleſiæ, mandantis omnibus Chriſtianis ſine diſtinctione, juſtis & peccatoribus, audire Miſſam diebus Dominicis & Feſtis: peccator enim, putans ſibi ex jure divino non licere intereſſe Sacrificio, non diu luctabitur, nec anceps hærebit divinum inter & jus Eccleſiaſticum, cùm agatur circa rem, vanis ſuis propenſionibus omninò adverſam, ſeſéque perlibenter determinabit pro jure divino, ſibi favorabili, proponens deinceps in ſtatu peccati nunquam audire Miſſam: jam prævidetur, Janſenizantes Rigoriſtas hic forſitan illaturos, eandem poſſe præſumi conſequentiam ex præcepto communionis Paſchalis, cunctis Chriſtianis impoſito,

quam-

quamvis jure divino ſit prohibitum, communicare in peccato mortali; & ſic quemadmodum peccator obligatur ad converſionem & confeſſionem pro communione Paſchali, ſic etiam teneatur ad converſionem & confeſſionem pro audiendâ Miſſâ. Ad hæc reſpondetur, prætermiſſis jam dictis, nimirùm, quòd ex Scripturis non conſtet, jure divino prohibitum eſſe, audire Miſſam in ſtatu peccati mortalis, ſicut id conſtat de communione Paſchali, certum eſſe, hæc duo præcepta, audire Miſſam, & communicare in Paſchate, plurimùm inter ſe differre; illud de auditione Miſſæ recurrit ſingulis ſeptimanis, imò non infrequenter in eâdem Septimanâ aliquoties; cùm écontra iſtud de communione ſemel in Anno redeat, tribuátque peccatori abundans ſpatium ad communionem ſe diſponendi: Quod majus eſt; ſi Confeſſarius pœnitentem non judicet ſatis diſpoſitum ad communionem Paſchalem, poteſt impletionem debiti Paſchalis prolongare in aliud tempus; adeò, ut pœnitens, humiliter obtemperando juſſis ſui Confeſſarii, non violet præceptum Eccleſiæ, nec offendat Deum, omittendo communionem tempore, ab ipsâmet Eccleſiâ præfixo.

Non ſic ſentiendum de præcepto audiendi Miſſam: cùm hoc præceptum frequentiùs redeat, hinc non ſemper peccatori tempus & voluntas favet ſeſe reconciliandi cum Deo, ut præceptum illud in ſtatu gratiæ adimpleatur, apprimè in principiis Moderatorum Janſenizantium, utpote qui à ſuis pœnitentibus & menſes & annos exigunt integros, ad explorandam ipſorum pœnitentiam,

priuſquàm eis abſolutionem tribuant. Præterquàm quòd Confeſſarius nullâ polleat authoritate diſpenſandi ab obligatione audiendi Miſſam, vel eam transponendi in aliud tempus: propterea ſemper conſequitur, quòd ſi peccator neceſſitate laboret violandi vel jus divinum vel jus Eccleſiaſticum, potiùs prolapſurus ſit in violationem Eccleſiaſtici, quàm divini juris, commodiſſimè ſe determinando, diebus Feſtis & Dominicis non audire Sacrum.

4. Hæc propoſitio eſt etiam *injurioſa Eccleſiæ ejuſque uſibus.* Eccleſiæ uſus eſt, non ſolùm peccatoribus permittere auditionem Miſſæ, ſed & eos ad hanc auditionem compellere, eámque præcipere diebus Feſtis & Dominicis; cum ſpe, inquiunt noſtri Epiſcopi in ſuis inſtructionibus paſtoralibus, quòd intuitu myſteriorum divinorum peccatores concepturi ſint ſacrum horrorem ab alto, síntque movendi per reviviſcentiam fidei ad petendum à Deo Spiritum contritum & humiliatum, in quo conſiſtit verum Sacrificium cordis: hic uſus nónne damnatur ab aſſerentibus, peccatores non habere jus aſſiſtendi ſacrificio Miſſæ; non eis licere ſacris intereſſe myſteriis?

PROPOSITIO XC.

ECcleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Corporis.

§. I.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

ECcleſia *ſeu Cætus omnium fidelium* Authoritatem excommunicandi habet *immediatè à Deo, non Corpus Paſtorale*, ut eam exerceat per primos Paſtores *vel* de conſenſu *expreſſo*, vel ſaltem præſumpto totius Corporis, *quod eſt totus Cætus omnium fidelium.*

Ut benè comprehendas, in quo lateat venenum hujus propoſitionis, explicandum priùs eſt, quale ſit Eccleſiæ regimen. Igitur advertendum, tria dari genera regiminis ſimplicis. Regimen Monarchicum, quando Princeps ſolus immediatè populo præſidet: Regimen Ariſtocraticum, cùm Primates ſeu optimates populo præſunt: ac tandem regimen democraticum, quandò plena poteſtas & Authoritas ſtat penes Populum: ad tria hæc genera ſeu formas regiminis ſimplicis accedunt quatuor aliæ formæ regiminis mixti ſeu compoſiti; primum conſiſtit ex tribus formis regiminis ſimplicis. Secundum regimen eſt mixtum ex Monarchiâ & Ariſtocratiâ. Tertium ex Monarchiâ & Democratiâ. Quartum ex Democratiâ & Ariſtocratiâ. Jam quæritur, qualem formam habeat regimen Eccleſiæ: Non hìc diſcutere intendimus quæſtiones quaſdam ſpinoſas & intricatas, *ad deſtructionem magis quàm ædificationem* deſervientes, ut alibi diximus: Solummodò dicemus, quòd omnes Catholici conveniant, Regimen Eccleſiæ eſſe Monarchicum, temperatum tamen ex Ariſtocratiâ & Democratiâ.

1. Eccleſiæ regimen eſt Monarchicum, quia Eccleſia guber-

gubernatur à ſummo Pontifice Vicario Chriſti, & Capite viſibili totius Eccleſiæ. 2. Regimen Eccleſiæ eſt temperatum ex Ariſtocratiâ, quia Eccleſiæ particulares reguntur ab Epiſcopis, qui ſunt veri Principes & Paſtores Eccleſiæ, & non ſimpliciter Vicarii ſummi Pontificis. 3. Democratia quoque non nihil participat ad Eccleſiæ regimen, non quòd penes populum ſtet aliqua authoritas, ſed quia nemo ex populo eſt, qui non poſſit elevari ad primos dignitatum gradus, ſi ad eos idoneus judicetur.

Longè aliter circa hæc ſentiunt hæretici. Quandoquidem nullum agnoſcant in terris Chriſti Vicarium, nec aliud Eccleſiæ Caput, præter Chriſtum, idcircò reſpiciunt Monarchicum regimen ut Tyrannicum, inſtitutioni Chriſti contrarium, nec recipiunt aliud Regimen in Eccleſiâ, quàm Ariſtocraticum vel Democraticum, ſub prætextu, quòd Chriſtus nulli homini ſingulari, ſed Eccleſiæ univerſali, id eſt, Communitati fidelium, tradiderit poteſtatem clavium. Quoad exercitium hujus poteſtatis hæretici inter ſe diſcordant: Quidam ex ipſis docent, ut Illiricus, (*a*) neminem eſſe in Eccleſiâ, qui præſideat, totámque authoritatem in populo reſidere. Alii, ut Calvinus, (*b*) defendunt, quòd, licèt populus habeat quandam authoritatem in Eccleſia, ſuprema tamen Authoritas refulgeat in conſeſſu Seniorum, id eſt, Presbyterorum ſeu Paſtorum, aut Miniſtrorum, ubi Epiſcopi non aliâ gaudeant præexcellentiâ, aut prærogativâ, niſi quòd ſint primi inter pares. Juxta ſyſtema priorum Ec- eleſiæ

(*a*) Centur. 1. l. 2. c. 7.
(*b*) L. 4. inſt. c. 11. §. 6.

cleſiæ regimen eſt Domocraticum : & in Syſtemate poſteriorum magis apparet Ariſtocraticum, quàm Democraticum.

Hujuſmodi hæreticorum opinionibus etiam aſſerenda eſt ſententia Richerii, condemnata Romæ, & in Galliis ſub initium regni Ludovici XIII. Richerius docebat, Eccleſiam utique regendam eſſe à ſummo Pontifice & primis Paſtoribus, in quo differt à cæteris hæreticis, nec Primatum Papæ, nec Authoritatem Epiſcoporum admittentibus : ſed volebat inſuper, primos hos Paſtores ſuam Authoritatem non recipere immediatè à Chriſto, ſed à Corpore ſeu totâ Maſſâ fidelium, quibus non aliter præſint Paſtores, niſi tanquam eorum miniſtri & ſervi : ex quo neceſſariò ſequeretur, Eccleſiæ regimen eſſe purè Democraticum.

En Errorem, quem Quenellus hâc ſuâ propoſitione promovere conatur. Singulis terminis, quibus ea conſtruitur, de hoc convincimur. Dicit 1. *Eccleſia Authoritatem excommunicandi habet* : id eſt ſolvendi & ligandi, *ut eam exerceat per primos Paſtores*. Evidens eſt, Quenellum ſub hoc termino *Eccleſia* intelligere congregationem fidelium, ſive totum populum fidelem, tanquam diſtinctum à primis Paſtoribus; cùm diverſimodè loquatur de his & illis : atqui ſi Cætus fidelium Authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Miniſtros, utique ſequela eſt neceſſaria, quòd nimirum Paſtores aliam Authoritatem non habeant, præter eam, quam à populo recipiunt, quámque loco populi exercent tanquam ejus miniſ-

miniſtri. 2. Dicit Quenellus, quòd Paſtores exerceant Authoritatem excommunicandi, *de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis*: Igitur Paſtores ſubſunt Authoritati fidelium; non enim evidentius datur ſignum dependentiæ, quàm cùm quis tenetur ſubmittere & conformare judicium ſuum judicio alterius. Hoc patet, & ab ipſo Authore ſex Columnarum conceditur.

Abſit, quòd Hexapliſta expurget Quenellum ab hoc errore; èontra eum firmare nititur, tametſi incaſsùm, multâ Authoritate Scripturarum & Patrum, quorum textus ſunt penè ipſimet, quos hæretici paſſim hucuſque uſurpârunt ad evincendum, quòd poteſtas clavium tradita ſit fidelium cætui, ut exerceretur per miniſtros.

„ Sententia Excommunicationis, inquit Hexapliſta, „ (a) quam S. Paulus pronuntiat epiſt. 1. ad Corinth. con- „ tra inceſtuoſum, plenè juſtificat propoſitionem Que- „ nelli XC. adeò, ut nullâ aliâ defenſione indigeat. Hic „ Apoſtolus dicit ad fideles, quòd velit, ut hujuſmodi „ reus tradatur Sathanæ: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chri-* „ *ſti congregatis vobis & meo Spiritu*;" id eſt, ſecundùm Hexapliſtam, quòd Apoſtolus non tulerit judicium excommunicationis contra inceſtuoſum tanquàm præſens, prout ex textu patet, ſed quòd voluerit, ut cætus fidelium Corinthi ſuum judicium uniat cum judicio ejus, ad ferendam ſententiam in nomine Jeſu Chriſti. Verbo, quòd Paulus deſideret, ut Corinthii conſentiant ipſius judicio excommunicationis, ídque ratificent: ægrè quis patentiùs ſe declaraverit pro Richeriſmo.

(a) pag. 30. col. 4.

Digitized by Google

Id,quod immediatè ſubjungit de Quenello, non minùs convincit, & delarvat Authorem ſex Columnarum. „ Quenellus elongavit omnes ſenſus reprobos, qui poſ„ ſent imputari ſuæ propoſitioni: monſtravit, quòd non „ poſſit inde erui, poteſtatem clavium exercendam eſ„ ſe à ſimplicibus fidelibus: *poſitivè contrarium dixi*; ita „ ſonant proprii ejus termini; *& expreſsè omnes Laicos*, „ *omnem fidelem ſimplicem, verbo, omnes excluſi ab hoc exerci*„ *tio, qui non ſunt neque Epiſcopi, neque Sacerdotes; cùm dixi*; „ *Eccleſia poteſtatem excommunicandi habet, ut eam exerceat* „ *per primos paſtores.* Veniendo poſtmodùm ad aſſenſum „ præſumptum; *neſcio*, inquit Quenellus, *quomodò ſua con*„ *ſcientiæ conſulat Epiſcopus, qui profert ſententiam Excommu*„ *nicationis, niſi præſumat, quòd Eccleſia in illam conſentiat*: „ *quippe ſi hoc non præſumeret, id non poſſet eſſe ex aliâ causâ*, „ *niſi quòd crederet ſuam ſententiam contraire regulis Eccle*„ *ſiæ* &c.

Attende, quomodò ex his verbis argumenter. Quenellus elongavit omnes ſenſus reprobos, qui poſſent imputari ſuæ propoſitioni, monſtrando, quòd nunquam dixerit, poteſtatem clavium exercendam eſſe à ſimplicibus fidelibus: igitur ſenſus reprobus propoſitionis conſiſtit ſecundùm Hexapliſtam duntaxat in hoc, ſi diceres, ſimplices fideles debere exercere poteſtatem clavium; igitur ſecundùm Hexapliſtam non eſt ſenſus reprobus, ſi dicas, populum recepiſſe immediatè à Deo hanc poteſtatem, quam primi Paſtores pro ipſo exercent. Ergò Quenellus, ejuſque Apologiſta hunc ſenſum poſteriorem adoptant tanquam ſenſum Catholicum: & in hoc adamuſſim

concordant cum omnibus hæreticis, qui nunquam prætenderunt, hanc poteſtatem à ſimplici Laico exercendam eſſe, ſed duntaxat à miniſtris, ad tale exercitium deputatis.

Sed necdum finis: Quenellus addit, ſe expreſsè excluſiſſe ab hoc miniſterio Authoritatis, excommunicandi omnes omninò, qui nec ſunt Epiſcopi, nec Presbyteri: ac ſi diceret; Presbyteros ſimplices æquè gaudere poteſtate excommunicandi ac Epiſcopi, & quòd Epiſcopus nequeat ferre ſententiam excommunicationis, inconſultis ad minus Sacerdotibus ſuæ Eccleſiæ, utpote qui circa hoc eâdem cum ipſo polleant Authoritate; *neſcio enim*, inquit Quenellus, *quomodò ſua conſcientia conſulat Epiſcopus, qui pronuntiaret ſententiam Excommunicationis ſine præſumptione, quòd Eccleſia & eam conſtituentes non conſentiant.* Hîc nullum effugium, nulla tergiverſatio ſupereſt; Clariùs enim nemo ſe explicaverit.

Quoad illud Quenelli; ſi Epiſcopus non præſumeret, vel non præſumere poſſet Eccleſiæ aſſenſum circa ſententiam Excommunicationis fulminandæ, quòd ideò tantùm fieret, quia crederet, ſuam ſententiam contraire regulis Eccleſiæ: quoad illud, inquam, patet vilis & inhoneſta Quenelli conſuetudo æquivocandi, ut ordinariè aſſolet. Plurimùm differt, agere conformiter regulis Eccleſiæ, & agere ſecundùm conſenſum præſumptum totius Corporis Eccleſiæ: regulæ Eccleſiæ ſunt illæ, quæ extant in jure Canonico, quibus tenetur ſe conformare Epiſcopus; quamvis non teneatur ſe conformare conſenſui & judicio populi. Regulæ illæ ſunt conſtitutæ à ſummis

mis Pontificibus & Epiſcopis, nunquam verò à populo fidelium, quorum maxima pars deſuper profundiſſimâ laborat ignorantiâ. Itaque populus ſcire nequit, utrùm ſententia Epiſcopi ſit conformis regulis Canonicis, ut illi aſſentiat. Imò ſiquando populus plenam haberet regularum cognitionem, poſſet tamen facillimè, ſtante Quenelli ſententiâ, populus, quòd â Deo Authoritatem ligandi atque ſolvendi acceperit, in his regulis diſpenſare, & conſequenter non conſentire, ſed diſſentire ſententiæ Epiſcopali, tametſi perfectè conformi regulis Canonicis, dummodò populus ſic conſultum duceret: adeóque, ut jam dictum, hîc occurrit vilis æquivocatio Quenelli, plus ad ejus condemnationem quàm juſtificationem contribuens.

§. II.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

Math. 16. *Tu* es Petrus, & ſuper *hanc* Petram ædificabo Eccleſiam meam: *Et tibi* dabo claves regni Cælorum, & quodcúnque *ligaveris &c.*

Joan. 20. Sicut me miſit Pater, & ego mitto *vos.*

Ibid. 21. Simon Joannis diligis me plus his? *paſce* oves meas. *Reſl.* Omnes hi textus clarè monſtrant, quòd Papa ſuam Authoritatem immediatè receperit ab ipſo Deo.

Galat. 1. Paulus Apoſtolus *non ab hominibus neque per hominem*; ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem.

1. *Timoth.* 5. Adversùs Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus.

concordant cum omnibus hæreticis, qui nunquam prætenderunt, hanc poteſtatem à ſimplici Laico exercendam eſſe, ſed duntaxat à miniſtris, ad tale exercitium deputatis.

Sed necdum finis: Quenellus addit, ſe expreſsè excluſiſſe ab hoc miniſterio Authoritatis, excommunicandi omnes omninò, qui nec ſunt Epiſcopi, nec Presbyteri: ac ſi diceret; Presbyteros ſimplices æquè gaudere poteſtate excommunicandi ac Epiſcopi, & quòd Epiſcopus nequeat ferre ſententiam excommunicationis, inconſultis ad minus Sacerdotibus ſuæ Eccleſiæ, utpote qui circa hoc eâdem cum ipſo polleant Authoritate; *neſcio enim*, inquit Quenellus, *quomodò ſua conſcientia conſulat Epiſcopus, qui pronuntiaret ſententiam Excommunicationis ſine præſumptione, quòd Eccleſia & eam conſtituentes non conſentiant.* Hìc nullum effugium, nulla tergiverſatio ſupereſt; Clariùs enim nemo ſe explicaverit.

Quoad illud Quenelli; ſi Epiſcopus non præſumeret, vel non præſumere poſſet Eccleſiæ aſſenſum circa ſententiam Excommunicationis fulminandæ, quòd ideò tantùm fieret, quia crederet, ſuam ſententiam contraire regulis Eccleſiæ: quoad illud, inquam, patet vilis & inhoneſta Quenelli conſuetudo æquivocandi, ut ordinariè aſſolet. Plurimùm differt, agere conformiter regulis Eccleſiæ, & agere ſecundùm conſenſum præſumptum totius Corporis Eccleſiæ: regulæ Eccleſiæ ſunt illæ, quæ extant in jure Canonico, quibus tenetur ſe conformare Epiſcopus; quamvis non teneatur ſe conformare conſenſui & judicio populi. Regulæ illæ ſunt conſtitutæ à ſum-

mis

mis Pontificibus & Epiſcopis, nunquam verò à populo fidelium, quorum maxima pars deſuper profundiſſimâ laborat ignorantiâ. Itaque populus ſcire nequit, utrùm ſententia Epiſcopi ſit conformis regulis Canonicis, ut illi aſſentiat. Imò ſiquando populus plenam haberet regularum cognitionem, poſſet tamen facillimè, ſtante Quenelli ſententiâ, populus, quòd â Deo Authoritatem ligandi atque ſolvendi acceperit, in his regulis diſpenſare, & conſequenter non conſentire, ſed diſſentire ſententiæ Epiſcopali, tametſi perfectè conformi regulis Canonicis, dummodò populus ſic conſultum duceret: adeóque, ut jam dictum, hîc occurrit vilis æquivocatio Quenelli, plus ad ejus condemnationem quàm juſtificationem contribuens.

§. II.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

Math. 16. *Tu* es Petrus, & ſuper *hanc* Petram ædificabo Eccleſiam meam: *Et tibi* dabo claves regni Cælorum, & quodcúnque *ligaveris &c.*

Joan. 20. Sicut me miſit Pater, & ego mitto *vos.*

Ibid. 21. Simon Joannis diligis me plus his? *paſce* oves meas. *Reſp.* Omnes hi textus clarè monſtrant, quòd Papa ſuam Authoritatem immediatè receperit ab ipſo Deo.

Galat. 1. Paulus Apoſtolus *non ab hominibus neque per hominem*; ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem.

1. *Timoth.* 5. Adversùs Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus.

Tit. 1. Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut *conſtituas* per civitates Presbyteros, ſicut & *ego* diſpoſui *tibi*.
Reſp. Authoritas Epiſcoporum in Presbyteros hic clarè notatur.

Act. 20. 28. Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos *Spiritus Sanctus* (non populus) poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.

Conc. Calced. ep. ad Leon. Et poſt hæc omnia inſuper, & contra ipſum, cui vineæ (univerſalis Eccleſiæ) cuſtodia commiſſa eſt, extendit inſaniam: id eſt; contra tuam quoque apoſtolicam Sanctitatem.

Nic. A. 787. Ex eâ (Eccleſiâ Romanâ) cæteræ Eccleſiæ Dei fidei documenta ſumpſerunt. Nam ipſe Princeps Apoſtolorum B. Petrus, qui Apoſtolicæ fidei primitùs præſedit, ſui Apoſtolatûs principatum ac Paſtoralis curæ Succeſſoribus ſuis, qui in ejus ſacratiſſimâ Sede perenniter ſeſſuri ſunt, dereliquit; quibus & auctoritatis poteſtatem, *quemadmodùm à Salvatore noſtro Domino Deo ei conceſſa eſt &c.*

Later. A. 1215. *Can.* 5. Sacrâ unverſali Synodo approbante, ſancimus, ut poſt Romanam Eccleſiam, quæ *diſponente Domino* ſuper omnes alias Eccleſias ordinariæ poteſtatis principatum habet; utpote Mater univerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra &c.

Epiſt. Gallor. Epiſc. ad Innoc. XII. Non deſunt, qui *earum* (*libertatum*) *obtentu* Primatum B. Petri, ejúſque Succeſſorum Romanorum Pontificum, *à Chriſto inſtitutum*, iiſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, Sedíſque Apoſtolicæ, in quâ fides prædicatur, & unitas ſervatur

Eccleſiæ, reverendam omnibus gentibus majeſtatem imminuere non vereantur.

Trid. Seſſ. 23. *c.* 5. Meritò Sancta Synodus damnat eorum ſententiam, qui aſſerunt, novi Teſtamenti Sacerdotes *temporariam tantummodò poteſtatem habere....* Quòd ſi quis omnes Chriſtianos promiſcuè novi Teſtamenti Sacerdotes eſſe, aut omnes *pari inter ſe Authoritate* ſpirituali præditos eſſe affirmat, nihil aliud facere videtur, quàm Eccleſiaſticam Hierarchiam confundere. *Reſt.* Si communitas ſeu cætus fidelium habet Authoritatem Eccleſiaſticam, ergò omnes fideles habent eandem Authoritatem: quod falſum eſt.

Ibid. infrà. Proinde S. Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, *& poſitos*, ſicut Apoſtolus ait, *à Spiritu Sancto, regere Eccleſiam Dei*, eóſque Presbyteris eſſe Superiores &c.

Ibid infrà. Docet inſuper S. Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum, nec populi, nec cujuſvis poteſtatis ſæcularis, & Magiſtratûs conſenſum ſive vocationem ſeu Authoritatem ita requiri, ut ſine ea irrita ſit ordinatio. Quin potiùs decernit, eos, qui tantummodò à populo aut ſæculari poteſtate ac magiſtratu vocati & inſtituti, ad hæc myſteria exercenda aſcendunt.... Omnes non Eccleſiæ Miniſtros, ſed fures & latrones, per oſtium non ingreſſos, habendos eſſe. *Reſt.* Si Authoritas Eccleſiaſtica immediatè conceſſa ſit communi cætui fidelium, ſequitur exinde

quòd ordinatio Epiſcoporum vel Sacerdotum ſine conſenſu ſaltem præſumpto Populi nulla ſit & invalida, prout etiam Quenellus reſpectu excommunicationis prætendit. Vide alia duo eloquia ejuſdem Concilii in Paragrapho ſequente.

Clem. in Can. 40. *Apoſt.* Presbyteri & Diaconi præter Epiſcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus *illi commiſſus eſt*; & pro animabus eorum hic redditurus eſt rationem.

Ignat. Epiſt. ad Philadel. Boni ſunt Sacerdotes & ſermonis miniſtri: melior eſt Pontifex, cui credita ſunt Sancta Sanctorum, *cui ſoli* commiſſa ſunt ſecreta Dei.

Irenæus l. 3. *c.* 3. Habemus annumerare eos, qui *ab Apoſtolis* inſtituti ſunt Epiſcopi & ſucceſſores eorum. Nam ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter ab reliquis perfectos docebant, iis vel maximè traderent ea, *quibus etiam ipſas Eccleſias committebant.*

Cypr. ep. ad Jubaian. Nam Petro primùm Dominus, *ſuper quem ædificavit Eccleſiam*, & unde unitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit.

Greg. III. ep. ad Bonifac. Ipſi Presbyteri in miniſterio Chriſti Dei ſanctâ lege edocti, *ab Epiſcopo ſuo benedictionem Presbyteratûs ſuſcipient*, & conſecrentur, & ſic miniſterio ſacro fungantur.

Ambr. ſerm. 2. Hanc ſolam Eccleſiæ navem aſcendit Dominus, in quâ Petrus *Magiſter eſt conſtitutus*, dicente Domino: *Super hanc Petram ædificabo &c.*

Chryſoſt. hom. 11. *in Math.* *Petrum* Eccleſiæ futuræ Paſtorem (*Chriſtus*) *inſtituit.*

Leo

Leo Mag. ſerm. 2. de anniv. Aſſumpt. Manet ergò diſpoſitio veritatis, *& B. Petrus in acceptâ fortitudine Petra perſeverans*, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit.

D. Bern. ep. 137. ad Eugen. Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt: Locus Petri eſt locus Principis Apoſtolorum, ubi ſteterunt pedes ejus; locus illius eſt, *quem conſtituit Dominus Dominum domûs ſuæ*, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.

§. III.

Qualificatio Propoſitionis.

HÆc propoſitio eſt falſa, proxima hæreſi, ſeditioſa, favens ſchiſmati, & jam damnata.

1. Eſt *falſa*: quis unquam audivit, fuiſſe appellatum à judicio Epiſcoporum ad tribunal populi? unquàmne populus abſolvit, quos ligavit Epiſcoporum ſententia? unquàmne petitus eſt aſſenſus plebis in decidendis articulis fidei, in ſanciendis legibus, in ſententiis & cenſuris ferendis? Quis Lutheranus, quis Calviniſta, quis Janſenianus eâ eſt eruditione tinctus, ut deſuper vel unicum producat antiquitatis exemplum? dein ſi Epiſcopus non poſſit excommunicare reum niſi præſumpto aſſenſu populi, ferè nunquam poterit validam ferre excommunicationem; tenebitur ſua propoſita promulgare per omnes parochias ſuæ diœceſis, etiam rurales, ut omnes accolæ & incolæ campeſtres, incomparabiliter majorem partem diœceſanorum efficientes, funditùs informentur de Epiſcopi ſui intentionibus, ut tandem diſcuſſâ rei causâ aſſenſum ſuum præbeant; præterquàm, quòd

tota parentela criminoſi cujuſdam, & excommunicandi, ejúſque conſanguinei, amici, fautores, conſortes, arrectis auribus adſtare ſoleant, ſuas meditando præcautiones; turmatim accurrant, ſuos excitando Patronos, largâ manu corrumpendo populum, eumque inclinando ad ſuas partes, ut cæcâ multitudine ſuffragante oculati Paſtoris cauſa ruat. Hæc enim maſſa infima plebis incultæ facillimè judicium Epiſcopi reſpuet, alto ſupercilio ejus intentioni in faciem reſiſtet: quanta ſcaturigo malorum, ſeditionis, turbarum!

2. Hæc propoſitio eſt *ſeditioſa*: eò quòd ſollicitet corda ſimplicium fidelium, prout jam dictum, ad excutiendum jugum, & indurandam frontem contra legitimas Authoritates Superiorum.

3. Eſt *proxima hæreſi*, ſi non ſit formaliter & omninò hæretica: etenim dogmatizare, quòd Corpus, ſeu Cætus fidelium à Deo receperit poteſtatem clavium, totaliter deſtruit Hierarchiam Eccleſiaſticam, Primatum Summi Pontificis, Authoritatem Epiſcoporum, ac tandem jurisdictionem Superioritatis ſpiritualis in populum fidelem, & ſic meræ veritates fidei everſum irent: quorſum enim exulabitur Authoritas Epiſcoporum, ſi tantummodò ut ſervi Servorum adminiſtrent Authoritatem, immediatè populo datam, ſine cujus conſenſu nihil validè, nihil licitè ſtatuunt?

4. Favet *ſchiſmati*: quòd populum erigat in audaciam, ſeſe ſubtrahendi jurisdictioni ſuperiorum, eorúmque Authoritatem eliminandi.

5. *Jam eſt damnata*: nimirum in Concilio Conſtantienſi & Tridentino, quæ Anathemati ſubjecêre plures errores per hanc propoſitionem evidenter reſuſcitatos,

Digitized by Google

Operæ pretium eſt, errores illos ab utróque Concilio damnatos hic recenſere.

Propoſ. 11. Wicleffi. *Nullus Prælatorum ullum hominem debet excommunicare, niſi præſciat, eum eſſe excommunicatum à Deo, & qui aliter excommunicat, eſt hæreticus:* Hæc propoſitio eſt ſimillima illi, quam Author Hexaplarum ſupra attribuit Quenello. *Si Epiſcopus non præſumeret, Eccleſiam conſentire excommunicationi, quam fulminat, ideò eſſet, quòd crederet, ſuam ſententiam contraire judicio Dei in Cœlis lato; ideò eſſet, quòd non præſumat, quidquid ligatum eſt ſuper terram, etiam ligatum eſſe in Cœlo.* Quis non advertit, Quenellum hic cum Wicleffo prætendere, quòd Prælato non conveniat ullum hominem excommunicare, niſi præſciat, eum jam eſſe à Deo excommunicatum? ex quo ſequeretur, ſententiam Epiſcopalem eſſe ſimplicem declarationem excommunicationis divinæ.

Propoſ. 12. ejusdem Wicleffi. *Prælatus, excommunicans Clericum, ad Regem vel ad ejus Senatum appellantem, ex eo eſt proditor Regis & Regni.* Si verum ſit, quod ſuadet Quenellus, poteſtatem clavium traditam eſſe cætui fidelium, ſequitur neceſſariò, poſſe appellari à ſententiâ Epiſcopi ad tribunal plebis & populi, de quo ad placitum ſupponi poterit, non conſenſiſſe.

Propoſ. 9. Joannis Huſſ. *Dignitas Papalis fuit ſtabilita à Cæſare; Prælatura & inſtitutio Papæ provênit à potentiâ Cæſaris.*

Propoſ. 15. ejusdem. *Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia ex inſtitutione Sacerdotum Eccleſiæ, contra expreſſam authoritatem Scripturæ.* Si Paſtores ſint Miniſtri populorum, ut exerceant eorum vices in adminiſtrandâ poteſtate clavium, neceſſariò ſequitur, Papatum, Epiſcopatum, ac obeditionem, Papæ & Epiſcopis debitam, non eſſe ex inſtitutione Divinâ.

 Pro-

Propoſ. 19. ejuſdem. *Clerus ſubmittit ſuo imperio populum Laicum, ut ſeſe ſuper eum erigat per cenſuras Eccleſiaſticas excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti.* Quenellus huic abuſui ſolerter præcavens declaravit, Clerum non poſſe ullam ferre ſententiam Excommunicationis ſine conſenſu ad minus præſumpto Corporis ſeu Cætûs fidelium.

Propoſ. 28. ejuſdem. *Sine hujuſmodi monſtroſis capitibus (*Papis & Epiſcopis*) Chriſtus multò meliùs Eccleſiam ſuam gubernavit per veros ſervos ſuos, & diſcipulos, per orbem terrarum diffuſos.*

Propoſ. 29. ejusdem. *Apoſtoli, & fideles Presbyteri optimè præfuerunt Eccleſiæ in rebus ad ſalutem neceſſarijs, antequàm fuerit introductus Papatus.*

Concilium Trid. Seſſ. 23. can. 6. *Si quis dixerit, in Eccleſiâ Catholicâ non eſſe Hierarchiam, divinâ ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris, Anathema ſit.* Si authoritas tradita ſit fideli populo, utique paret ad oculum, nullam in Eccleſiâ Hierarchiam exiſtere, vel ſaltem eam non eſſe ex inſtitutione divinâ.

Idem Concilium eâdem Seſſ. can. 7. *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris Superiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem, vel ordines ab ipſis collatos ſine populi vel poteſtatis ſæcularis conſenſu aut vocatione irritos eſſe, aut eos, qui nec ab Eccleſiaſticâ & canonicâ poteſtate ritè ordinati nec miſſi ſunt, ſed aliunde venerunt, legitimos eſſe Verbi & ſacramentorum miniſtros, Anathema ſit.* Quenellus omnes

nes hos errores, Anathemate Concilii Tridentini infames, renovat. Secundùm ipſum poteſtas excommunicandi communis eſt Presbyteris & Epiſcopis: dicit enim, ſolos Laicos excludi ab exercitio hujus poteſtatis: Ergò Presbyteri juxta Quenellum tantâ pollent authoritate, quantâ Epiſcopi; primi paſtores nequeunt excommunicare niſi de aſſenſu ad minùs præſumpto populi: ergò nullam poſſunt ſtatuere ordinationem ſine conſenſione plebis; non enim talis conſenſus magis requiritur pro uno, quàm pro altero caſu. Cæterùm ſi ſimplex populus ſuſcepit à Deo poteſtatem clavium, ad eum quoque pertinet electio & Miſſio Miniſtrorum in Eccleſiâ: ergò univerſi, à primis Paſtoribus miſſi vel mittendi, non ſunt miniſtri legitimi. Hæc eſt abyſſus errorum, in quam præcipiti curſu ruit excæcata Janſenianorum Secta.

PROPOSITIO XCI.

EXcommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro: Nunquam eximus ab Eccleſiâ, etiam quando hominum nequitia videmur ab eâ expulſi, quando Deo, JEſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus.

PROPOSITIO XCII.

PAti potiùs in pace excommunicationem & anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari ſanctum Paulum: Tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra authoritatem, aut ſcindere unitatem.

PROPOSITIO XCIII.

JEſus quandóque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato Zelo reſcindunt.

§. I.

Senſus Naturalis Propoſitionum.

EXcommunicationis injuſtæ, *cujuſcunque*, metus *in nullo penitùs caſu* debet nos impedire ab implendo debito noſtro, *qualicunque*, nunquam enim eximus ab Eccleſia, *nequidem ſecundùm jus externè implendi debitum noſtrum; & nequidem cùm excommunicamur ſecundùm leges Canonum, & ſine injuſtitiâ ex parte Excommunicantis*: neque etiam, quando hominum nequitiâ videmur ab eâ expulſi; quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ *inviſibili, ſeu cœtui juſtorum* per charitatem affixi ſumus.

Pati potiùs in pace, *ſine petitione abſolutionis, ſine demonſtratione ſuæ innocentiæ, ad extergendam vexam*, cujuſcunque generis excommunicationem aut Anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari S. Paulum, *etiam taliter excommunicatum*. Tantum abeſt, ut *ejuſmodi pacifica perpeſſio* ſit erigere ſe contra Authoritatem *Eccleſiæ & Prælatorum excommunicantium*, aut ſcindere Unitatem.

Jeſus quandoque ſanat vulnera *Cenſurarum*; quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio, *etiam ſecundùm Regulas Canonum*, infligit ſine ipſius mandato, *aut ad minus præſump-*

ſumpto aſſenſu totius Corporis Eccleſiæ. Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato Zelo reſcindunt, *ut taliter Excommunicati non teneantur in forò externo ſe gerere tanquam excommunicatos.*

Cùm hæreſis ſit ex malis longè maximis, quæ poſſint affligere populum Dei, cùm ſit malum funeſtiſſimum, ſumméque contagioſum, idcircò ſolicita Mater Eccleſia extremo huic malo extrema adhibet medicamenta, violentiſſimo ſuccurrit remedio, ut eo vel ſanet, vel præſervet filios ſuos. Remedium iſtud Excommunicatio eſt; clavus ille ſpiritualis, & gladius anceps, de quo Apoſtolus: *(a) arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia in Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes, ulciſci omnem inobedientiam &c.* Hæretici omnium ſæculorum ſemper experti ſunt potentiam hujus armaturæ ſpiritualis, & quid non tentavêre, ut eam infirmarent, & inutilem redderent? perſuaſi, præpotentem hanc armaturam eſſe validiſſimum obſtaculum promovendis eorum erroribus, & écontra ſaluberrimum remedium ſervandæ obedientiæ & devotionis populorum, deciſionibus Eccleſiaſticis debitæ; hinc omnia excogitârunt, ut excommunicationis contemptum fidelium mentibus inſpirarent, ac ſalutarem ejus timorem inde ſurriperent: Wicleffus, Joannes Huſs, atque Lutherus inter alios inſigniter eminebant propoſitionibus ſuis, contra excommunicationem frendentibus.

Qui deſiſtunt à prædicatione vel auditione verbi divini, aje-

(a) 2. Cor. 10. v. 4.

bat Wicleffus art. 23. *propter excommunicationem, eo ipſo ſunt excommunicati.*

Timenda non eſt, ſuperaddit art. 30. *Papa, aliorúmve Prælatorum excommunicatio: cùm ſit cenſura Anti-chriſti.*

Excommunicationes, inquit Lutherus, art. 23. condemn. per Leonem X. *non ſunt niſi pœna æterna, nec privant hominem communibus Eccleſiæ precibus.*

Oportet inſtruere Chriſtianos, adjungit art. 24. *magis amare excommunicationes, quàm formidare.*

Egregiis hujuſmodi principiis haud dubiè inſiſtens Quenellus, propoſitiones ſuas periculoſas contra excommunicationem promovit: Inſtar aliorum hæreticorum fulmine Eccleſiaſticæ Excommunicationis tactus, contra omnipotentem roboratus eſt; vult remederi ſalutariter remordenti conſcientiæ, ſéque in tuto conſtituere contra pungentem gehennæ timorem, ex cenſurâ Eccleſiæ ſibi incuſſum; vult fanaticis ſuis reflexionibus & cæteros animare, ne timeant fulmina Vaticani, ne fortè ſalubri formidine excommunicationis, utpote pœnæ omnium terribiliſſimæ, excitati, Veritatis recenter fabricatæ proditores efficiantur, id eſt, ne ſe conſtitutionibus Apoſtolicis metu Cenſurarum ſubiiciant. Audiamus ſuper hoc differentem Apologiſtam: (*a*) "Inutile eſt, ſi dica„tur, Quenellum abuti hâc Regulâ, tametſi verâ. Incaſ„sùm prætenditur, Quenellum his propoſitionibus vel„le inſpirare populis Spiritum independentiæ, eóſque „dementare, ut ſpernant cenſuras & excommunicatio„nes Eccleſiæ: plenè hâc in re juſtificatur ex columnâ

(*a*) pag. 403. col. 4.

„ collaterali : Etſi verò ſupponatur, quod ſine atrâ calum-
„ niâ ſupponi nequit, Quenellum mox recenſitas foviſſe
„ intentiones; hæc tamen ratio nequaquam ſufficit ad
„ juſtificandam condemnationem principii, puram, pu-
„ tam veritatem continentis. Si quando ſalva ſit ejuſmo-
„ di poteſtas, damnandi tales propoſitiones, nulla poſt-
„ hæc Religionis veritas ab excommunicatione ſecura
„ remanebit; cùm nulla ſit, quâ non poſſimus abuti. "
Ad hæc reſpondetur 1. quòd Quenellus nullam patiatur calumniam, nullam impoſturam, quando creditur, eum hujuſmodi circumferre principia, in deſpectum cenſurarum Eccleſiæ. 2. Quòd textus collaterales, ab ejus Apologiſta allati, ſint inſufficientes ad Quenelli juſtificationem. 3. Quòd ſit à verò remotiſſimum, Quenelli propoſitiones in ſeipſis puram putam continere veritatem. Ex ordine hoc totum probabimus.

1. Principium receptum, & traditum ab omnibus Theologis, eſt, quòd ad cenſurandam propoſitionem non ſolummodò examinanda ſit propoſitio in ſeipsâ, ſed inſimul attendendum ad tempus, locum, circumſtantias, & ipſum opus,in quo talis propoſitio ſtatuitur,præſertim verò conſiderandus eſt character, ſitus & conditio Authoris, propoſitionem illam inſinuantis : poterit enim hujuſmodi propoſitio induere ſenſum Catholicum, tempore, loco, perſonâ, aliiſque obſervatis circumſtantiis, cùm tamen variatis circumſtantiis indueret ſenſum hæreticum, præſertim ſi proponeretur ab hæretico, vel ab aliâ perſonâ, in fide ſuſpectâ. Exempli gratiâ : Quid magis Catholicum,

quàm hæc propoſitio. *Liberum arbitrium eſt gratia, quam omnes à Deo recipimus, & ſine quâ nihil agere poſſumus* : nihilominùs ſi dicta propoſitio extaret in libro cujuſdam Pelagiani, tempore, quo Pelagianiſmus affligebat Eccleſiam: nónne dicta propoſitio, tametſi in ſe veriſſima, mereretur cenſuram? pariformiter differendum de propoſitionibus Quenellinis, excommunicationem concernentibus; proferuntur enim in tempore, quo Janſeniſmus cervices elevat contra omnes legitimas poteſtates, publicè earum Authoritati inſultando; proferuntur in libro, qui totus Janſenizat, qui Janſeniſmo ſcatet uſque ad verticem ſummè exotiço; proferuntur à viro, violenter de hæreſi ſuſpecto, qui à multis abhinc diebus induit frontem adamantinam contra omnes Bullas, omnia Anathemata ſummorum Pontificum. Quis deinceps dubitabit? imò quis non credet, ejus propoſitiones, ex teſtimonio Apologiſtæ ſuſceptibiles reprobi ſensûs, reverâ intelligendas eſſe, & ab ipſo Quenello intelligi in ſenſu hæretico, non Catholico? quis ſenſatus aliter judicet?

2. Juſtum hoc judicium ampliùs clareſcit, quòd ad Quenelli juſtificationem non ſufficiant textus illi, ab Authore ſex Columnarum allati, quibus monſtrat, quàm terribiles effectus excommunicationi Quenellus attribuerit. Enim verò quis Lutheranus, quis Calviniſta, qui non æquè ac Quenellus agnoverit poteſtatem excommunicandi, quam Eccleſia à Chriſto accepit? quis non concedat, excommunicationem eſſe ſupplicium ſuppliciorum omnium acerbiſſimum? poſſent de hoc afferri ſententiæ veterum Sectariorum ad minus tam efficaces & de-

ciſivæ, ac ſunt ſententiæ Quenellinæ, ab Authore ſex Columnarum citatæ, niſi lectoris patientiæ parcerem. Prætérquàm quòd potior pars textuum Quenelli, ab ejus Apologiſtâ prolatorum, parùm vel nihil ad rem faciant, nec reipsâ ſint repugnantes errori illi, quem ſuis propoſitionibus ſuadere ſatagit. *Effectus terribilis excommunicationis*: ait Quenellus; *peccatum tamen, cujus pœna eſt excommunicatio, ſine comparatione terribilior eſt: Excommunicatio ultimum eſt remedium contra culpas mortales; qui contemnunt excommunicationem, quando eam meruerunt, ignorant ſanè, quid ſit, coram Deo eſſe inſtar Ethnici & Publicani &c.* Optimè; at quis putat ſe committere *peccatum* vel *culpam mortalem*, inſurgendo contra Bullas Pontificias, tametſi receptas à majore parte Epiſcoporum? quis eſt ille, & laudabimus eum, qui fateatur plenè perſuaſus, ſe meruiſſe excommunicationem contra ſe fulminatam? Eſtne vel unicus Janſeniſta inter Gallos, qui, cùm excommunicatur, non protinùs dicat cum Quenello: *Credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum.* Igitur omnes textus, ex quibus Apologiſta ſibi imaginabatur eruere meliorem cauſam ſui Clientis, ſunt prorſus ſteriles.

3. Verùmtamen ſupponamus tandem, omnia mox dicta non ſic ſe habere, certum tamen eſt, propoſitiones Quenellinas in ſeipſis eſſe cenſuris digniſſimas. Pro quo obſervandum, quòd licèt perſæpe confundatur injuſtitia excommunicationis cum ejus nullitate, nihilominùs intercedat ingens differentia inter hanc & illam. Quamvis enim omnis excommunicatio *nulla* ſit etiam injuſta, non tamen omnis excommuni-

catio *injuſta* ſemper eſt excommunicatio *nulla*. Prælatus mandat ſub pœnâ excommunicationis rem aliquam, quæ notoriè tranſcendit ſphæram ſuæ Authoritatis; cùm repugnet juri divino & naturali: vel fulminat fortè ſententiam excommunicationis, contrariam regulis ſacrorum Canonum, vel contra perſonam, ejus jurisdictioni non ſubjectam. Talis excommunicatio nulla eſt, & abuſiva: at verò Prælatus mandat uni ex ſuis ſubditis aliquid, quod jus habet mandandi, ſubdito verò impoſſibile eſt, id ſervare ex impedimento occulto: vel Prælatus vibrat ſententiam excommunicationis contra innocentem, conformiter tamen omnibus regulis, per ſacros Canones præſcriptis. Talis excommunicatio in ſe eſt injuſta, non tamen nulla aut abuſiva.

Hoc poſito, omnes Theologi docent, excommunicationem nullam & abuſivam non eſſe curandam: aliter verò cenſent de excommunicatione injuſtâ. Quantumvis injuſta ſit, timenda eſt, & maximè curanda, ſaltem tunc, quando injuſtitia ejus non eſt notoria, neque ſententia Prælati in ſe continet errorem intollerabilem. Itaque homo in talem excommunicationem prolapſus, quamvis ex ſeipsâ injuſtam, debet tamen omni conatu poſſibili laborare, ut ab eâ abſolvatur, ſuámque demonſtrare innocentiam. Quòd ſi hæc defenſio fiat excommunicato abſolutè impoſſibilis, ſuſtinenda eſt patienter talis perſecutio in ſpiritu humilitatis & ſubjectionis, ſine temerariâ præſumptione rumpendi vinculum, quo ligatur in foro externo; ita quidem, ut, ſi laicus, taliter ab homi-

ne

ne excommunicatus & denuntiatus, intereſſet ſacrificio Miſſæ, mortaliter Deum offenderet, ſicut Sacerdos, ſi in tali ſtatu celebraret Altaris myſteria, reverà fieret irregularis.

Quoad prohibitionem, quam poſſet facere Prælatus ſub pœnâ excommunicationis, in re aliquâ, ad quam ex obligatione tenemur: Iterum diſtinguendum eſt: vel enim agitur de obligatione, in qua poteſt diſpenſare Eccleſia, verbi gratiâ, in exercitio Religionis: vel agitur de obligatione, in quâ Eccleſia diſpenſare nequit; verbi gratiâ, in rebus ex jure divino vel naturali nobis impoſitis. Si ſit quæſtio de obligatione diſpenſabili ab Eccleſiâ, tenetur quis obedire, nec ulteriùs progredi: ſi verò ſit quæſtio de obligatione indiſpenſabili, verâ, reali, & indiſputatâ, non autem de obligatione imaginariâ, quam quis velit manutenere contra dictamen rectæ rationis & pietatis; tunc utique nemo tenetur obedire: ſi verò dubium ſit de veritate & realitate hujuſmodi obligationis, præſumptio ſtat pro Superiore, ac favendum eſt piâ ſubmiſſione ejus mandato.

His omnibus benè perpenſis haud ægrè deprehenditur, propoſitiones Quenelli in ſeipſis eſſe cenſurâ digniſſimas. *Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro.* Hæc propoſitio eſt indefinita, per conſequens generica & univerſalis. In ſenſu ſuo proprio & naturali intelligitur de omni genere excommunicationis injuſtæ, nullâ exceptâ, de omni genere debiti, ſive diſpenſabilis ſive indiſpenſabilis, ſive realis,

ſive imaginarii, tam de dubio, quàm de certo. Terminus *nunquam*, quo hic utitur Quenellus, omnem dubitandi locum excludit. Eſt enim idem, ac ſi dicat expreſsè, nullum poſſe caſum accidere, in quo excommunicationis injuſtæ metus nos debeat impedire ab implendo debito noſtro. Altera pars ejuſdem propoſitionis ex æquali causâ meretur cenſuram. *Nunquam eximus ab Eccleſiâ, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab eâ expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus.* Certum eſt enim, poſſe contingere caſum, in quo homo innocens poſſet exteriùs ſeparari ab Eccleſiâ per ſententiam ex ſe injuſtam; tunc nimirum, quando, Exempli gratiâ, Epiſcopus omnes regulas Canonum obſervavit, nec ex ſuâ parte ulla intercurrit injuſtitia notoria, aut ullus error intollerabilis.

Propoſ. XCII. *Pati potiùs in pace excommunicationem & Anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari ſanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra Authoritatem, aut ſcindere unitatem.* Hæc propoſitio, inquam, eſt etiam valde reprehenſibilis. Præterquàm enim, quòd falſiſſimum ſit, & ſummè injurioſum S Paulo & Eccleſiæ, aſſeverare, S. Apoſtolum fuiſſe excommunicatum, inſuper accedit error craſſiſſimus, cùm dicitur, *exerceri virtutem, patiendo in pace excommunicationem injuſtam*: hæc pax prætenſa nihil aliud eſſe poteſt, quàm ſignum contemptûs injurioſi cenſurarum Eccleſiæ, cùm tamen in conſcientiâ teneamur quantociùs curare, ut ab iis abſolvamur, præſtando ſatisfactionem congruentem, ſi rei ſimus,

Digitized by Google

mus, ſin verò innocentes, demonſtrando tunc innocentiam ac injuſtam vexam. Terminus ille, *prodere Veritatem*, eſt etiam genericus, qui æquè poteſt intelligi de veritate dubiâ, imaginariâ ſeu putativâ, ac de veritate evidente, & indubitatâ.

Error propoſitionis XCIII. non minore falſitate ſenſibilis eſt. *Jeſus quandóque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato Zelo reſcindunt.* Falſum eſt enim, Jeſum Chriſtum unquam ſanâſſe vulnera aut plagas, ab Eccleſiâ per ejus paſtores impoſitas; falſum eſt, quòd Chriſtus unquam reſtituerit, quod Paſtores inconſiderato Zelo reſciderunt. Certè vel excommunicatio præceps & inconſiderata, de quâ Quenellus, eſt excommunicatio nulla & abuſiva, involvens injuſtitiam notoriam, aut errorem intollerabilem: vel eſt excommunicatio ſimpliciter injuſta, tametſi vibrata conformiter ad regulas ſacrorum Canonum. Si ſit excommunicatio nulla & abuſiva, tunc innocentem nec vulnerat, nec reſcindit à Corpore Eccleſiæ, adeóque Jeſus tunc non habet, quod ſanet, aut reſtituat. Si verò ſit excommunicatio ſimpliciter injuſta, quâ homo innocens ſine vulnere intrinſeco tantùm extrinſecè reſcinditur ab Eccleſiâ, rurſum Jeſus nihil ſanat, nihil reſtituit: non ſanat, quia nullum adeſt vulnus: non reſtituit injuſtè excommunicatum in jus, participandi divinis myſteriis, cùm è contrario velit Jeſus, ut tali cenſurâ ligatus humiliter ſeſe inclinet ſub manu & judicio Miniſtrorum legitimorum,

velit-

velitque ejus innocentiam occultè coronare, ac compenſare abundantiâ gratiarum, quidquid damni ex privatione divinorum myſteriorum ac injuſtâ reciſione innocenter paſſus eſt. Ergò finaliter falſum eſt, propoſitiones Quenellinas circa materiam excommunicationis nihil complecti, quàm quæ ſunt vera. His omnibus reflexionibus altâ mente ruminatis, nemini dubitandum, eaſdem propoſitiones eſſe *falſas*, *ſeditioſas*, *ſcandaloſas*, *pernicioſas*, *faventes ſchiſmati*, *hæreſibus*, *& hæreticis*: quæ omnia nullis indigent probationibus. Reſtat tamen probanda veritas Catholica, propoſitionibus damnatis oppoſita, ex ſacrâ Scripturâ & SS. Patribus.

§. II.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitionibus damnatis oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

Deuter. 12. 17. Qui ſuperbiêrit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui èo tempore miniſtrat Deo tuo; ex decreto judicis *morietur* homo ille, & auferes malum de Iſraël. *Reſl.* Hæc mors eſt figura excommunicationum Eccleſiæ.

Math. 18. 18. Quæcunque *alligaveritis* ſuper terram, erunt *ligata* & in Cælo; & quæcunque *ſolveritis* ſuper terram, erunt *ſoluta* & in Cælo.

Rom. 13. 12. Qui reſiſtit *Poteſtati*, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.

2. *Cor.* 13. Ut non præſens duriùs agam, *ſecundùm poteſtatem*, quam dedit mihi Dominus.

Digitized by Google

1. Theſſal. 4. 8. Qui hæc ſpernit, nòn hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis. *Reſſ.* Mox videbitur hos textus applicabiles eſſe excommunicationi injuſtæ.

Hier. in hac verb. Quæcunque alligaveritis &c. Poteſtatem tribuit Apoſtolis, ut intelligant, qui *à talibus damnantur*, humanam ſententiam divinâ ſententiâ roborari.

Urban. I. *in Decret. Grat. Cau. II. q.* 3. *Can. quibus.* Cavenda eſt ſententia Epiſcopi, *licèt injuſtè liget.*

Greg. Mag. hom. 26. *in Evang.* Is autem, qui ſub manu Paſtoris eſt, ligari timeat *vel injuſtè.*

D. Thom. in 4. *Sent. d.* 18. *a.* 1. *q.* 4. Dicendum, quòd excommunicatio poteſt dici injuſta dupliciter: Uno modo ex parte excommunicantis, ſicut qui ex odio vel ira excommunicat; *& tunc nihilominùs habet effectum ſuum....* Alio modo ex parte ipſius excommunicationis, vel quia cauſa excommunicationis eſt indebita, vel quia infertur ſententia, juris ordine prætermiſſo: Et tunc, ſi ſit talis error ex parte ſententiæ, qui ſententiam nullum faciat eſſe, non habet effectum, quia non eſt excommunicatio: Si autem ſententiam non annullet, *habet effectum ſuum; & debet excommunicatus humiliter obedire*, & erit ei ad meritum, vel abſolutionem petere ab excommunicante, vel ad Superiorem judicem recurrere. *Si autem contemneret, eoipsò peccaret mortaliter.*

Ibid infrà. Contingit autem, quòd eſt debita cauſa ex parte excommunicationis, quæ non eſt debita ex parte excommunicati: ſicut cùm aliquis pro falſo crimine in-

judicio probato excommunicatur; *& tunc ſi humiliter ſuſtinet, humilitatis meritum compenſat excommunicationis damnum.*

D. Bonav. l. 4. *part.* 2. *dub.* 2. Dicitur in jure; ſententia Paſtoris, *ſive juſta ſive injuſta* tenenda eſt, timenda.... Dicendum, quòd ſententia injuſta dicitur, ex animo, ex cauſa, ex ordine. Ex animo, ut cùm fertur non Zelo juſtitiæ, ſed vindictæ. Ex causâ, ut cùm non eſt meritum ſufficiens, vel certum, propter quod debeat excommunicari iſte, cui infligitur. Ex ordine, ut cùm prætermittitur ordo juris. Si ergò talis Excommunicatio feratur in aliquem, diſtinguendum eſt: aut fertur ab habente canonicam juriſdictionem, aut non habente. Si ab habente, dicendum, *quòd tenenda eſt, & timenda; quia non eſt ſubditorum, diſcutere ſententias majorum: & ſi contemnunt, graviter peccant*: Excipiuntur autem duo caſus: Videlicet ſi ſententia illa lata eſt poſt appellationem legitimam; vel quando continet intollerabilem errorem: ut ſi diceretur, excommunico te, quia credis in Deum. In his duobus caſibus non quærentes abſolutionem admittuntur ad eorum probationem: *aliàs autem non admittuntur, niſi humiliter petant abſolutionem.*

Ibid. infrà. Abſolvit autem Dominus Papa in omnibus ad cautelam; non propter hoc, quòd reputet, fuiſſe excommunicatos, vel excommunicandos; *ſed ut oſtendat, Eccleſia ſententiam, quantumcúnque ſit injuſta, eſſe formidandam: Unde timetur, & tenetur* non conſideratione juſtitiæ, ſed ob reverentiam Poteſtatis Eccleſiaſticæ.

Id.

Id. ibid. q. 6. Dicendum, quòd eſt loqui de potentiâ abſolvendi, & excommunicandi, prout poteſt in hos actus, vel de jure, vel de facto. Differtur enim, facere, & juſtè facere. Si loquamur de facto, ſi Epiſcopus excommunicet non contumacem, prætermiſſo juris ordine, in facie Eccleſiæ *excommunicatus eſt, quamvis injuſtè lata ſit ſententia, & tenetur eam ſuſtinere: alioquin ex hoc ipſo contemptu efficitur dignus excommunicari, & ligatur apud Deum.*

Id. ſerm. 1. *Dom.* 11. *poſt Pentecoſt.* Tales ergò contumaces aures ad obediendum, quando non aperiuntur Dei digito; neceſſe eſt, ut quandoque feriantur Petri gladio: Id eſt, ſententiâ Excommunicationis. *Amputavit auriculam ejus dexteram*; non percuſſit aliud membrum, quàm auriculam; quia ſola inobedientia contumax excommunicationis gladio ferienda eſt; quidam autem non attendentes, manum, pedem, aut quodcunque membrum amputant; quandoque propter quamlibet cauſam excommunicationis ſententiam fulminant: nihilominùs tamen *gladius ille ſemper timendus eſt: juxta illud S. Gregorij: Utrum juſtè an injuſtè obliget Paſtor, Paſtoris ſententia timenda eſt.* Væ ei, *qui non ſubeſt, injuſtè ſi forſitan ligatur; ipſam ſuæ obligationis ſententiam ex aliâ culpâ meretur.*

Gerſ. in diſcuſſ. iſtius aſſert. Sententia Paſtoris etiam injuſta &c. Stat, *aliquas ſententias* Paſtoris vel Papæ, & ſuorum Commiſſariorum non eſſe tenendas; imò nec timendas, dum ſunt injuſtæ: & hoc in multis caſibus. 1. Si ſententia lata ſit poſt appellationem legitimam. 2. Si contineat errorem intolerabilem.

Reſp. Igitur ſecundùm ipſum Gerſonem dantur ſententiæ paſtorum injuſtæ, quæ tamen tenendæ ſunt & timendæ; aſſerit quippe, dari quaſdam injuſtas ſententias, quæ nec tenendæ nec timendæ ſint.

PROPOSITIO XCIV.

NIhil pejorem de Eccleſiâ opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

PROPOSITIO XCV.

VEritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleríſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti Idioma incognitum: adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium; neque ſatis advertitur, quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.

§. I.

Senſus Naturalis Propoſitionum.

NIhil pejorem de Eccleſiâ opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre, *prout defacto vident*, illic *injuſtum* dominatum exerceri ſupra fidem fidelium *cum ſupreſſione libertatis conſcientiarum*; & foveri diviſiones per cenſuras & juramenta præſtanda propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores: *hujuſmodi res ſunt quinque propoſitiones Janſenij cenſuratæ, quas ejus diſcipuli debent abjurare ſub pænis Cenſurarum &c.* Veri-

Veritates *Fidei* eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, *& conſequenter maximæ parti Eccleſiæ*; & modus eas veritates prædicandi eſt veluti Idioma incognitum *pleriſque Chriſtianis*; adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium; neque ſatis advertitur *à Paſtoribus & Miniſtris primis, aliiſque inferioribus*, quòd hic defectus *à ſimplicitate Apoſtolorum, & receſſus ab uſu & traditione ævi Apoſtolici* ſit unum ex *multis* ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis, *corruptionis*, & defectionis Eccleſiæ, *nec non ſignum* iræ Dei in filios ſuos, *id eſt in Eccleſiam ejúſque membra, quibus componitur.*

Nemo ignorat, & in hoc libenter conſentimus Authori ſex Columnarum, poſſe dari abuſus in Eccleſiâ. Exemplum ſæculorum præteritorum id ſatis demonſtrat; nec minùs de hoc convincimur quotidianâ & perſonali experientiâ. Verumenimverò súntne hi abuſus, vel poſſúntne eſſe de natura illorum abuſuum, quos Quenellus publico clamore exprobrat in faciem Eccleſiæ, libro nempe in omnium manus devoluto? Quis niſi Lutheranus, niſi Calviniſta, niſi obſtinatus Janſenianus attentabit Eccleſiam calumniari, quòd *exerceat dominatum ſupra fidem fidelium?* quòd *foveat deciſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores?* quòd *veritates in eâ eo úſque devenerint, ut vel non annuntientur*, vel ſi annuntiantur, *id fiat in linguâ quaſi peregrinâ pleriſque Chriſtianis*, & quòd *modus, eas prædicandi, ſit veluti Idioma incognitum?* quòd Eccleſia tantoperè *deſciverit, & receſſerit à ſimplicitate Apoſtolorum* ſuo modo prædicandi? & tandem, *quòd hi defectus ſint ex ſignis maximè*

(a) pag. 361. col. 5.

ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ , & iræ Dei in filios ſuos , id eſt , in Eccleſiam ſuam , ejúſque membra , quibus componitur ?

Ex tali effigie quis cognoſcat prototypon ſeu originale ? tam ex atrâ deſcriptione & depictione quis vaticinabitur columbam illam unam , electam , perfectam ; illam Chriſti Sponſam , totam pulchram ſine rugâ & maculâ; illam Spiritu ſancto obumbratam Eccleſiam ? petram illam , contra quam portæ inferi non prævalebunt? annon ex hac pictura coniicitur Babylon illa magna, confuſa , proſtituta , polluta ? meretrix illa prætenſa , contra quam hæretici ſpumante ore , corde & calamo effutiunt iras ſuas ? Ex horum venenatis ſcriptis ſine dubio Quenellus deprompſit colores ſuos nigerrimos , quibus depingit Eccleſiam binâ hâc propoſitione & ſequentibus. Verùmtamen qualem de ſeipſo efformat effigiem Quenellus , cùm ita temerariè reflectendo depingit , vel potiùs monſtruosè deformat Eccleſiam ? cùm inſtar Lutheranorum & Calviniſtarum injuriis tam atrocibus Eccleſiam Romanam lancinat ? differtne à cæteris Sectariis ? quid ad hæc Apologiſta pro causâ ſui Clientis? Videamus, annon æquè mereatur annumerari hæreticis , ac Quenellus ipſe , cujus in ſe ſuſcepit patrocinium.

„ Non poteſt , inquit , (*a*) Quenello imputari cri„ men , quòd erexerit ſe contra abuſus in reflexionibus „ ſuis genericis , niſi ſupponatur , eum intendiſſe contra „ ipſam Eccleſiam ſuas reflexiones acuere , deſtruendo „ principium infallibilitatis : vel niſi ſupponatur, eum haſ„ ce reflexiones tacito odio applicâſſe Paſtoribus in Eccle-

(*a*) pag. 363. col. 5.

„ ſiâ Præſidentibus..... duobus verbis ad hæc reſponde-
„ tur. Licétne hominibus, ſcrutari cor alterius, ad inve-
„ ſtigandas vias ejus abſconditas, & intentiones, ex qui-
„ bus operatur? licétne hominibus, ſeſe conſtituere judi-
„ ces cogitationum occultarum, quarum ſolus Deus te-
„ ſtis eſt? ex principiis ipſis, non ex intentione judican-
„ dus eſt Author, ejúſque opus.„

Nihil ſubdolo hoc argumento falſius. Eccleſia nihil ſupponit in condemnatione alicujus libri: ſolummodò judicium fert ſuper ea, quæ àforis patent, & quæ ab omnibus dignoſci poſſunt; Eccleſia humiliter Sponſo ſuo dijudicanda relinquit ſecreta Conſilia inimicorum ſuorum; hinc propoſitiones pravas, contra ſanam doctrinam enaſcentes, judicat ex terminis, quibus componuntur, ſecundùm propriam, naturalem & obviam eorum ſignificationem; útque ejus judicium clariore Majeſtate, tanquam de vultu Domini, prodeat, hinc naturali terminorum ſignificationi ſuperaddit tempus, circumſtantias, naturam libri, quo propoſitiones illæ continentur, & præſertim, ut jam notavimus, adjungit characterem, converſationem vitæ, ſtatum & ſitum Authoris, ſic proponentis. Omnia iſthæc extrinſeca ſunt, de quibus Eccleſia ſemper pronuntiabit judicium rectum & infallibile. Ergò ſummus Pontifex non damnat propoſitiones, quibus Quenellus ſe ſublevat contra abuſus, præciſè ex eo, quòd *ſupponat*, Quenellum in ſinu cordis gerere conſilium abſconditum, eas applicandi Eccleſiæ, vel quòd *ſupponat*, Quenellum ſuis reflexionibus

ex

ex odio furtivo & tacito exprobrare Paſtoribus in Eccleſiâ Præſidentibus: Abſit: non idcircò damnatur Quenellus Reflexivus; ſed quia ipſius propoſitiones, conſideratæ in ſenſu proprio & naturali, conſideratæ ſecundùm tempus & circumſtantias editionis earum, conſideratæ tandem, quatenùs procedunt à viro, jam dudum ſeditionem ſpirante contra Eccleſiam ejúſque Paſtores, tam evidenter ſunt injurioſæ Eccleſiæ, totíque Corpori paſtorali, ut cæcus ſit & inſenſatus, qui hæc non videt & ſentit.

Enim verò, quis eſt *dominatus* ille, qui exercetur ſupra fidem fidelium, hæreticis peſſimam de Eccleſiâ opinionem ingerens? indubitanter, juxta Quenellum, exercetur dominatus hujuſmodi, quòd Eccleſia obliget jurare fideles, & credere, quòd quinque propoſitiones Janſenii contineantur in ejus libro *Auguſtinus*; & quòd hæ propoſitiones ſint hæreticæ: quæ *res* ſecundùm Janſeniſtas *nec fidem lædunt*, nec mores. Ecquis eſt exercens hunc dominatum in Eccleſiâ? Eſt Papa, & totum Corpus Paſtorum: ſunt *Paſtores mercenarij*; ſuperaddit Author ſex Columnarum, (*a*) tam Zeloſus quoad hoc Lutheranus & Calviniſta, quàm ipſe Quenellus. „ *Paſtores mercenarij*, conniven„tes & tolerantes, quòd populi vexentur variâ praxi ſu„perſtitionis, & quòd Eccleſia perturbetur quæſtioni„bus nullius momenti.(ut notatur in propoſitione XCIV) „dummodò per eas vel modicum firmamenti accedat do„minatui uſurpato.“ Ergò juxta Quenellum ſunt Paſtores Eccleſiæ, qui dominantur ſupra fidem fidelium; qui

fovent

(*a*) pag. 367. col. 4.

ſovent diviſiones propter res inanes & frivolas. Nec tantummodò quidam paſtores, ſed omnes paſtores, ſunt hujus fermenti, quia, ut ait propoſitione ſubſequente: *Deus permittit, ut omnes poteſtates ſint contrariæ prædicatoribus Veritatis*: quid clariùs? quid poſthàc opus eſt ſcrutari ſecreta cordium, ut cognoſcas Quenellum tacito odio, & ex conſilio imputare Eccleſiæ illos abuſus, contra quos tumultuat? útque penetres, hos abuſus odioſâ applicatione impingi Paſtoribus, Eccleſiæ præſidentibus?

Ampliùs hac de re convincemur, advertendo, quòd iſta ſit unica & ſola cauſa, cur gliſcentes abuſus in Eccleſia non imputandi ſint ipſimet Eccleſiæ, quia eos non tantùm non approbat, ſed & verè & ſeverè condemnat. Jam verò prætextatus ille abuſus, videlicet ſignatura Formulæ, contra quem Quenellus inſurgit, non ſolùm ab Eccleſia non reprobatur, ſed approbatur, & ejus Authoritate firmatur; non duntaxat approbatur, & Eccleſiæ Authoritate firmatur, ſed ab ipſâ Eccleſiâ mandatur, & expreſsè præcipitur per Bullas ſolemnes Pontificum, à toto Corpore paſtorali receptas: ergò talis abuſus cadit ſuper Eccleſiam: ergò hæc deformatur rugâ & maculâ, quam rugam rebellis filius Quenellus ſat impudenter ſuæ Matri exprobrat. Dein, propriè loquendo, hîc non agitur de abuſibus, in Eccleſiâ gliſcentibus: agitur de defectibus realiſſimis & eſſentialibus, in ipſa Eccleſia deprehenſis; eò quòd ſibi arroget Authoritatem indebitam, & quam non habet, obligando nimirum fideles ad fidem circa factum Janſenii, fovendo diviſiones inter filios ſuos, hujus facti

Janſeniani gratiâ, quod tamen eſt nullius ponderis aut conſequentiæ; prædicando veritates Religionis modo imperceptibili à potiore parte fidelium; eóuſque ſe elongando à ſimplicitate Apoſtolorum, ut, quidquid dicit, tranſcendat captum Chriſtianorum: defectus ſatis notabiles & palpabiles, qui ſecundùm devotum Quenellum ſunt ex ſignis maximè ſenſibilibus Senectutis Eccleſiæ, & per conſequens proximè imminentis ejus finis.

„ Sed nunquid Quenellus, *(a)* " replicat ejus Apologi„ſta, clariſſimè docuit, abuſus & inordinationes, in Ec„cleſiam irrepentes, non cadere in ipſam Eccleſiam, nec „aliquid ſubtrahere ejus Authoritati & infallibilitati, & „quòd nequaquam in nobis diminuere debeant ſubmiſ„ſionem & reſpectum, ejus deciſionibus debitum? " Eſtne poſſibile, Quenellum, Virum, qui jam à tanto tempore ſcandalizavit orbem Chriſtianum pertinace ſuâ rebellione contra Eccleſiæ Authoritatem, éſtne, inquam, poſſibile, Quenellum clarè, ſine æquivocatione, aut circulo captioſo dogmatizâſſe veritatem hanc adeò ædificantem? veréne & ſincerè loqui cenſeatur Apologiſta, citando hæc verba? recogitavítne, quòd conſtruat opus ad inſultandum Papæ & Epiſcopis, ad convincendum & arguendum eos, quantùm poſſibile eſt, de peccato temeritatis, illuſionis, erroris & injuſtitiæ; ad perſuadendum univerſæ plebi, ne ſe ſubmittat Conſtitutioni ſolemniſſimæ & ſummè Authenticæ, qualis vix comparuit in Eccleſiâ à pluribus ſæculis? Quàm incantatus & faſcinatus fuerit Apologiſta, quòd in fine ſui operis, tantoperè claudicantis, ſui ipſius oblitus, adduxerit textus, quibus Que-

(a) pag. 365.

nellus ſuadet ſubmiſſionem & reſpectum, Eccleſiæ deciſionibus debitum: quæ eſt igitur Eccleſia illa, cui nihil obſunt gliſcentes abuſus; nihil derogant Authoritatis & infallibilitatis? & cujus deciſionibus ſemper deferendus eſt idem reſpectus, eadem ſubmiſſio? Eſtne forſitan Eccleſia Anglicana, Hollandica, aut Genevenſis? En myſterium iniquitatis: Hæc Eccleſia eſt illa, quam Janſeniani fabricant ſibi, & imaginătur; eſt illa, cujus ſeipſos reputant portionem defœcatiſſimam: Eſt ea ipſa, cui noviſſimis his diebus omnes hæretici acclamârunt elogiis ampliſſimis, applauſu præſumptuoſo; eſt illa, quam aſſerunt infallibilem, & à quâ nunquam ſe diſceſſiſſe gloriantur; quam uſque ad conſummationem ſæculi duraturam prætendunt.

Audiamus ſuper hoc diſſerentem Franciſcum Gomar, Caput ſuæ ſectæ in Hollandiâ: „ Eccleſia Romana, inquit, „ (*a*) poteſt ſumi vel ſecundùm meliorem, vel ſecundùm „ majorem partem: ſi ſumatur pro parte meliore, conce- „ dimus, quòd ſit Eccleſia, cùm hodiedum ibi reperiatur „ quid reſiduum de Eccleſiâ. Et hi ſunt, qui gementes „ ſub jugo Pontificio non curvaverunt genua ſua coram „ Baal. Si verò Eccleſia Romana ſumatur pro majore „ parte, id eſt, pro Pontifice, & omnibus ejus Miniſtris „ *conjuratis*, ſive ei devotis, eúmque ſequentibus, tunc „ negamus, quòd ſit Eccleſia. Eàpropter non nos ſe- „ paravimus à primâ parte, hoc eſt ab iis, qui benè ſen- „ tiunt, qui ſanam ſectantur doctrinam, quibus conti- „ nuò manemus uniti per fidem: ſed diſceſſimus à ſecun- „ dâ parte, non abſolutè, ſed ſecundùm quid, non in toto, „ ſed in aliquo; retinuimus enim, quidquid habet boni, „ écontra abjecimus, quidquid habet mali per reforma- „ tionem Eccleſiæ. Non enim ſegregavimus nos à

(*a*) Gomar Anal. 2. ep. 2. p. 589.

„ Romanâ Eccleſiâ, niſi in rebus, in quibus ipſa ſe à Deo „ ſegregaverat. “

En propemodùm ipſum ſyſtema Quenelli, ejúſque Apologiſtæ. Eccleſia illa, quam teſtantur nihil amiſiſſe authoritatis vel infallibilitatis, & cujus deciſiones audiendæ ſunt cum ſubmiſſione & debito reſpectu, Eccleſia, inquam, illa *non conſiſtit in majore, ſed meliore parte Eccleſiæ Romanæ*; id eſt, in Eccleſiâ Janſenianâ, compoſitâ ex membris, Janſenio conſentientibus. Quoad alteram partem Eccleſiæ Romanæ, utpote incomparabiliter majorem, multò depreſſiùs ſentiunt: ita quidem eſt; necdum apertè dicunt, Papam, huic Eccleſiæ præſidentem, eſſe Tyrannum vel Anti-Chriſtum: ſed dicunt, eum abuti ſuâ Authoritate, *eum exercere dominatum ſupra fidem fidelium, ac fovere diviſiones inter illos de rebus inanibus*; necdum aſſerunt, Epiſcopos, ſacræ Sedi devotos, eſſe miniſtros *conjuratos*; ſed aſſerunt, eos eſſe *Paſtores mercenarios*, tolerantes, quòd Papa *turbet Eccleſiam propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.* Necdum dicunt, veritates non ampliùs annuntiari in hâc Eccleſiâ, ſeu majore parte; ſed *veritates eò deveniſſe, ut ſint lingua peregrina, modúſque eas prædicandi ſit ſupra communem captum fidelium*; necdum dicunt, hanc Eccleſiam non ampliùs eſſe Eccleſiam; ſed dicunt, quòd habeat ſigna *ſenectutis* ſenſibilia, ſigna *defectionis*, ſigna inconſtantiæ. Lingua doloſa! lingua temeraria Quenelli & Authoris ſex Columnarum! linguâ quâ non loquuntur ſacræ Scripturæ & SS. Patres: audiamus loquentes.

§. II.

§. II.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitionibus damnatis oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

Pſalm. 37. 38. Thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta *in æternum*, & teſtis in Cælo fidelis.

Math. 16. 18. Portæ inferi *non prævalebunt* adversùs eam.

Ibid. 28. 20. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus *uſque ad conſummationem ſæculi.*

Eph. 5. 27. Ut ſe exhiberet glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed *ut ſit ſancta & immaculata.*

Irenæ: l. 5. *adv. hæreſ.* *Ubique* Eccleſia *prædicat veritatem*; & hæc eſt lucerna Chriſti, bajulans lucem.

Cypr. ep. 55. Significans & oſtendens Eccleſiam, quæ in Chriſtum credat, & quæ ſemel id, quod cognoverit, teneat, *nunquam ab eo omnino diſcedere.*

Ambr. l. 4. *Hexam. c.* 4. Videtur Eccleſia ſicut Luna deficere, *ſed non deficit*: obumbrari poteſt, *deficere non poteſt.*

Chryſoſ. pſal. 44. *v.* 10. Adſtitit regina à dextris tuis; Eccleſia oppugnatur; evincit: appetita inſidiis, ſuperior evadit: injuriis contumeliiſque laceſſita illuſtrior conſtituitur: ſauciatur, nec cedit impreſſioni vulnerum: utcunque fluctuet, *non ſubmergitur.*

Hier. in c. ult. Matth. Qui uſque ad conſummationem ſæculi cum diſcipulis ſuis ſe futurum eſſe promittit, & illos oſtendit, *ſemper eſſe victuros*, & ſe *nunquam* à credentibus receſſurum.

Aug. in pſalm. 60 Non vincetur Eccleſia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, *donec veniat hujus ſæculi finis.*

Id. l. 2. *de civit. Dei c.* 28. Nihil in Chriſtianis Eccleſiis turpe & flagitioſum ſpectandum, imitandumque proponitur; ubi *verè Dei aut præcepta inſinuantur*, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur.

Id. l. 3. *de doct: Chriſt. c.* 34. Eccleſia *ſine macula & ruga*, ex omnibus gentibus congregata, atque in æternum regnatura cum Chriſto, ipſa eſt terra beatorum, terra viventium.

Fulg. ep. ad Prob. c. 5. Eccleſia, Virgo in fide & charitate perſiſtens, & ſapientiam poſſidet, & virtutem: ideò nec ſeductione decipitur, nec violentiâ vincitur; *quia interna virginitatis integritate fulcitur.*

Joan Damaſc. l. 2. *Paral. c.* 14. *in fine.* Nunquam *ſenex* eſt Eccleſia, ſed ſemper viget: everti non poteſt, labefactari & corrumpi nequit.

Sozom. l. 6. *c.* 3. Dicebant, eos eſſe culpabiles, qui conſubſtantialitatis vocem, quæ in ſcripturis non invenitur, in fidei doctrina poſuiſſent; *quòd inter Sacerdotes, & eos diſcordiam generaret.* *Reſp.* Sic quoque dicunt Janſeniani de Eccleſia ejuſque Miniſtris, quòd utantur vocibus peregrinis, linguis novis, ſupra captum fidelium, contra ſimplicitatem Apoſtolicam, ad fovendas diviſiones inter Sacerdotes & populum Domini, poſthabitis Scripturis ſanctis. Signa ſenectutis Eccleſiæ, maculatæ, rugoſæ, decrepitæ.

§. III.

Qualificatio Propoſitionum.

HÆ propoſitiones ſunt malè ſonantes, erroneæ, ſeditioſæ, injurioſæ Eccleſiæ, & hæreſi proximæ.

1. Hæ propoſitiones ſunt *malè ſonantes*; quia Eccleſiam odioſo depingunt penicillo; viles de ipsâ conceptus & ideas ingerunt, dicendo, veritates eò deveniſſe in Eccleſiâ, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis &c.

2. Sunt *erroneæ*: errat, qui dicit, Eccleſiam non habere poteſtatem, obligandi ſuos filios ad fidem de Janſenii facto, & quòd tale factum non pertineat ad res dogmaticas.

3. Sunt *ſeditioſæ*: quòd ſollicitent corda fidelium ad rebellionem contra Eccleſiam, & ne obediant ejus mandatis & deciſionibus.

4. Sunt *injurioſæ Eccleſiæ* propter monſtroſam effigiem, quam de illâ efformant.

5. Sunt *proximæ hæreſi*, quia videntur inſinuare, Eccleſiam poſſe errare, deficere, ſeneſcere; certum eſt enim effatum Apoſtoli. *Quod antiquatur, & ſeneſcit, propè interitum eſt.* Pro quo per tranſennam, ſed opportunè notandum eſt, quid Author Hexaplarum pro causâ Quenelli afferat, nimirùm id ipſum, quod Congregatio Cleri gallicani. A. 1655. pronuntiavit, *poſſe videlicet noſtra tempora nuncupari fæces, & finem ſæculorum.* Prorsùs ſuperflua & inutilis eſt hæc citatio, nec inde extergitur Quenellus: nam Clerus Gallicanus tunc loquebatur de corruptione mo-

morum, de confuſione & inordinatione temporum, quæ videntur prænuntiare proximam reſolutionem & finem hujus mundi: non verò de ſeneƈtute Eccleſiæ; de ejus defeƈtibus realibus circa fidem & veritates; nec de rugis & maculis, ſponſam Chriſti defigurantibus; hæc enim ſemper erit æqualiter pulchra, Deoque accepta, etiam ſub regimine Anti-Chriſti, ubi minor fides & major corruptio, ubi rari fideles, & infidelitas multiplicabitur.

PROPOSITIO XCVI.

DEus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus viƈtoria attribui non poſſit niſi divinæ gratiæ.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

DEus permittit, ut omnes Poteſtates, *omnes ſæculi & Eccleſiæ Principes*, ſint contrarii Prædicatoribus veritatis *Janſenianæ*, ut hujus veritatis *oppreſſæ* Viƈtoria non poſſit attribui niſi divinæ gratiæ, *ſemper viƈtrici.*

Semper & ubique in omnibus ſeƈtariis obſervatus eſt Spiritus ſeditionis, tumultûs, & independentiæ. Hiſtoriæ tum Eccleſiaſticæ tum profanæ omnium ſæculorum luculenta huic veritati teſtimonia præbent; ſpeciatim Gallia tot funeſtis hâc de re conviƈta eſt experientiis ſub regimine ultimorum Regum, imò ſub ipſo imperio, hodie glorioſè Regnantis in Perſona Fanaticorum: ut altâ mente etiamnum repoſta maneat ſpretæ & læſæ Majeſtatis

ſtatis

ſtatis injuria. Profectò ſicut character eſſentialis hæreſûm eſt, nolle ſe ſubmittere Authoritati Eccleſiæ; ita & nolle aquieſcere Authoritati Principium, quamvis utraque & Authoritas Eccleſiæ, & poteſtas Principum à Deo æqualiter firmata ſit. Homo, qui aliquando excuſſit jugum Authoritatis ſpiritualis, non niſi reluctans ſuſtinet jugum dominationis mundanæ: Spiritu ſuperbiæ & ſummæ libertatis ambitione agitatus invitè ſubeſt, aut obtemperat Poteſtatibus, quas Deus poſuit ſuper caput ejus: hinc illa averſio clandeſtina omnium hæreticorum contra regimen Monarchicum, & Authoritatem Regum ac Principum: hinc penè omnibus pruriunt dentes pro regimine Ariſtocratico vel Democratico, Rebuspublicis familiari.

Itaque cum veritate dici poteſt, omnes Janſeniſtas, Coronæ Gallicanæ ſubjacentes, jam eſſe rebelles Majeſtati regiæ, tametſi necdum ad arma clament, nec hactenus contra Regem conſpiraverint. Præterquàm enim, quòd Rex ſit Protector Romanæ fidei & Eccleſiæ; quòd velit omnes ſuos ſubditos eſſe unitos communione Doctrinæ cum hâc Eccleſiâ; quòd jubeat Sacræ Sedi ſemper & ubique deferre omnem reſpectum, omnémque debitam ſubjectionem, præſertim ejus deciſionibus, poſtquàm receptæ ſunt à majore parte Prælatorum Regni; præter hæc, inquam, etiam compertum & indubitatum eſt, hos Novatores cum tædio & impatientiâ ferre, quòd Authoritas ſimul & pietas tanti Regis continuò ſe opponat perverſis eorum conceptibus; & quàm cupiunt, quàm ſuſ-

pirant, finiri tandem curſum Regiminis, cujus diuturna protractio tantò vehementiùs horum viſcera diſcruciat, quantò feliciùs Eccleſiæ pacem & utilitatem conſolidat. Aſſimilandi ſunt, quoad hoc, Janſeniani peccatoribus illis, de quibus notant Theologi, quòd optarent Deum non eſſe, ut ſine vindice, & impunè peccare liceret. Nemo igitur miretur, Quenello elapſas eſſe quaſdam reflexiones, etiam poteſtati ſæculari injurioſas, non obſtante accuratâ ejus præcautione, ne ſeipſum proderet in libro ad omnium manus promovendo. Poſtquàm enim ſe erexit contra Authoritatem Eccleſiaſticam, quomodò poſſet non ſurgere in Authoritatem regiam? & poſtquàm cumulatim objurgavit Papas & Epiſcopos, ejus doctrinam condemnantes, quomodò parceret Principibus, tanto zelo hanc condemnationem ſuâ Authoritate fulcientibus?

Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ prædicatoribus Veritatis, reflectit Quenellus: quænam ſunt poteſtates iſtæ? non ſolùm poteſtates Eccleſiaſticæ, ſed & Politicæ, ſeu ſæculares; qui enim dicit *omnes*, nullam eximit. Rex & ejus Miniſtri, juxta Quenellum, ſimiles Sacerdotibus Synagogæ, & Magiſtratibus gentium, Apoſtolos perſequentibus, ſunt contrarii Prædicatoribus veritatis; nónne Quenellus hoc loco Satyras æmulatur? quis ex hâc effigie noſceret Regem Chriſtianiſſimum, Primogenitum Romanæ Eccleſiæ, Principem tam pium, qui ab ineunte ætate tot glorioſa præbuit argumenta zeli ſui Regalis pro orthodoxa Religione? Nónne Quenellus hîc

po-

potiùs depingit Maximianum aut Diocletianum, qui Religionem Chriſtianam extinguere conabantur in ſanguine Evangelizantium Pacem novi Teſtamenti? hâc ratione ſcilicet Quenellus vult inſtituere populos, quàm ſine murmure obſequi debeant Regum Authoritati; hiſce reflexionibus penetrantibus vult permovere plebem ad dilectionem erga Principes, & Poteſtates ſæculi.

„ Quid? „ exclamat hic Author ſex Columnarum „ „ (a) annon Quenellus in ſuis reflexionibus ſtatuit regu- „ las exactiſſimas, & ſummè Chriſtianas circa ſubjectio- „ nem, Principibus præſtandam, circa devotionem, quam „ ſubditi debent ſolvere Superioribus?„ at quis Lutheranus, quis Calviniſta, qui non egerit idipſum, quod Quenellus? interim nemo ignorat, quàm tentaverint ſpiritu Seditionis inebriare omnes Europæ ſubditos: ex ingenti numero deſuper citandorum, unicus ſufficiat Franciſcus Gomar: *(b)* „ Hiſtoria Nativitatis Chriſti", inquit Gomar, „excitat Chriſtianos ad exercitium & pra- „ xin operum fidei ſecundùm exemplar Joſephi & Mariæ. „ Joſeph enim & Maria perfectâ obedientiâ ſicut & cæteri „ Judæorum ſeſe ſubmiſerunt edicto Cæſaris, tanquàm „ Domini ſui juxta quintum Decalogi præceptum: pari- „ ter omnes homines vi ejuſdem legis & præcepti tenen- „ tur ſubeſſe Cæſari, & omni poteſtati ſuperiori, nullo ex- „ cepto: in quod propoſitum opportunè loquitur Chry- „ ſoſtomus dicens, quòd omnis anima ſubjecta ſit poteſta- „ tibus ſuperioribus, ſive Apoſtolus, ſive Evangeliſta,

(a) pag. 393. col. 5.
(b) expl. c. 2. p. 188.

„ Propheta..... cui etiam addendum, quòd licèt Chri-
„ ſtus, in quantum Filius Dei, fuerit Dominus Cæſaris,
„ liber ab omni ſubmiſſione; nihilominùs in quantum
„ filius hominis obediverit Cæſari, ſolvendo tributum pro
„ ſe & S. Petro.... imitandum eſt inſuper adhuc aliud
„ opus fidei in Joſepho & Mariâ, nimirum opus patien-
„ tiæ, quâ ſe ſubmiſerunt mandato Cæſareo, ſuſtinen-
„ do ſine murmuratione ullâ contra Deum aut homines
„ laborioſum, tetricum & difficile iter, ac cætera ſtabuli
„ incommoda, in quo divertere coacti ſunt. “

Ita loquitur Caput rigidorum Calviniſtarum in Hollandiâ, Zelator ille Rerumpublicarum, ac juratus hoſtis Dominatûs Monarchici; nec tamen ex eo cenſendus eſt verus fautor aut Patronus Poteſtatis Principum, ac ſubmiſſionis, eorum ſceptris debitæ. Idem tenendum de Quenello: poſtquàm faſtuosè ſurrexit in poteſtates, poſtquàm Regem ejúſque Miniſtros præſentavit plebi quaſi Tyrannos, veritati contrarios; non exinde putandus eſt amicus Cæſaris, aut devotus Authoritati Principum, licèt aliquandò in horum favorem diſſerat.

Verùm obſervemus etiam cauſam, cur Deus permittat, ut omnes poteſtates ſint contrariæ prædicatoribus Veritatis? hoc ideò fieri arbitratur Quenellus, *ut victoria Veritatis attribui non poſſit niſi divinæ gratiæ*; id eſt: Si Janſeniſmus etiamdum viget in Galliis, ſi in dies magis ac magis roboratur; ſi dominatur inter Hollandos quibuſdam in locis; ſi venenum hujus ſectæ ſe propagavit in omnes ſtatus; ſi etiam contagione replevit clauſtra & ſanctuaria

Regu-

Regularium, ſi ubíque ſuos, eóſque potentes Patronos & Protectores numerat, vel inter ipſos, qui millies vitam ſuam exponere & immolare deberent pro jugulando hoc monſtro: Totum iſtud ſecundùm Quenellum eſt effectus divinæ gratiæ, quæ triumphum adornat huic Veritati, frendentibus licèt cunctis ſæculi poteſtatibus. Quanta impietas! quanta blaſphemia!

Talis erat impietas, talis blaſphemia Lutheranorum & Calviniſtarum. Cùm enim ipſis exprobraretur à Controverſiſtis Catholicis, quòd non poſſint oſtendere ullum motivum credibilitatis ſuæ fidei, nec ullum ſignum veritatis novæ ſuæ Religionis: quid? inquiebant hi Sectarii, nónne miraculum miraculorum,& effectus evidens dexteræ Excelſi, quòd nova noſtra reformatio, invitis omnibus poteſtatibus, ac contra nos conjuratis, ſeſe tam exiguo temporis ſpatio per omnes Europæ ſtatus & provincias extenderit? nunquid homines infirmi & contemptibiles, quales eramus, potuiſſent ex ſe tantæ molis opus promovere? Digitus Dei eſt hic. Succeſſus rerum tam fortunatus, tam expeditus viſibiliter demonſtrat brachium Omnipotentis: Et cui niſi gratiæ divínæ attribuenda victoria, quam Veritas Evangelica ſupra ſuperſtitionem Papiſticam reportavit?

Quid reponebant ad hæc Controverſiſtæ Catholici? quid mirum, ajebant iſti, ſectam veſtram tam rapido curſu omnem terram inundâſſe? inter magnos & potentes hujus ſæculi diſtribuiſtis bona Eccleſiæ; Presbyteris & Religioſis conceſſiſtis uxores; plebem diſpensâſtis ab

omni rigore & exercitio Religionis; eliminaſtis pœnitentiam & Confeſſionem, jejunia & quadrageſimas; ſi quis vobis reſtitit in faciem, armâſtis populum, à vobis vaferrimè ſeductum in veſtram defenſionem; igne & ferro omnia invaſiſtis, ut nemo valuerit tantam frangere violentiam: quid ergò mirum, ſectam veſtram tam præcipiti progreſſu undique invectam? nónne potiùs laudanda eſt divina miſericordia & providentia, veſtram hæreſin non eò uſque ſe dilatâſſe, quo naturali impetu rapiebatur?

Propemodùm eâ ipsâ reſponſione occurrendum eſt Janſenianis gloriantibus, quòd uſque adhuc vivant contra voluntatem omnium Poteſtatum; & quòd propagatio doctrinæ ſuæ ac Veritatis prætenſæ tribuenda ſit *divina gratia.* Profectò nihil admiratione dignum præſefert iſthæc propagatio: quantumvis enim primo intuitu rigidus appareat Janſeniſmus, non niſi perſonatus eſt rigor ille; nullius ſenſualitatem notabiliter lædit; imò omnes invitat. licentioris vitæ homines ſolamen ibi reperiunt contra remorſus, & ſtimulos conſcientiæ, perſuaſi, mandata Dei eſſe impoſſibilia, ac deeſſe gratiam ad ea ſervanda. Econtra homines pii atque devoti ad eam pertrahuntur pompâ quâdam externæ pietatis & reformationis; curioſi eam amplectuntur ex ardore eminendi inter cæteros, & quæ nova ſunt, inquirendi; ſimplices verò & imperiti poſt eam vadunt ob fallaces umbras veritatis, quaſi hactenus exulantis. Omnes tandem huic Sectæ favent propter aſſertam ab eâ libertatem in credendo, quod credere volumus, independenter ab Authoritate ſupremâ.

Porrò quantis utuntur artibus Sectatores Janſenii in gratiam diffundendæ ſuæ hæreſis: artes profectò, quæ inducant, ſi fieri poſſet, in errorem etiam electos. Traductiones illæ Scripturarum in linguas vulgares corruptiſſimæ, omniúmque manibus intruſæ; falſificationes illæ textuum notoriæ & infames, quibus ſatagunt ipſos Sanctos Patres reddere complices criminoſæ ſectæ; Libri illi ſcatentes ſacrilegâ & vaferrimâ mixtione veri cum falſo, quâ etiam verſutiſſimi & verſatiſſimi fraudulenter circumveniuntur; Indignæ machinationes, & viliſſimæ adulationes, quibus ſubreptitias comparant approbationes ſuis paginis: falſi rumores, qui ſparguntur; calumniæ teterrimæ, quibus diffamantur defenſores Eccleſiæ; æquivocationes abominabiles, mendacia palmaria, veſana perjuria, quibus veritatem proditoriè tradunt, occultandæ ſuæ hæreſeos gratiâ; hæc & alia ejuſmodi monſtra juxta reflexionem Quenelli ſunt attribuenda divinæ gratiæ, ſunt effectus providentiæ Dei; ſed effectus, quos horrent veri Catholici, quos reſpiciunt tanquàm effectus tremendæ juſtitiæ Dei, aliquando, ex imperſcrutabili abyſſo judiciorum ſuorum, mittentis in Eccleſiam ſuam *operationem erroris*, de qua Apoſtolus: *(a) Ut credant mendacio.* Utique univerſa iſta prolixiores petunt reflexiones, ſed ſufficiat pro fine id obſervâſſe, quod quilibet abſque difficultate animadvertit, nimirum hanc propoſitionem Quenelli eſſe *falſam, temerariam, ſeditioſam, injurioſam Poteſtatibus tam ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis, faventem hæreſibus & hæreticis.*

Nihil

(a) 2. Theſſal. 2. v. 11.

Nihil reſtat, quàm ut afferantur nonnulli textus Scripturæ & SS. Patrum, ad comprobandum, quàm juſtè ſæviant Poteſtates cóntra pravitatem hæreticam.

§. II.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitionibus damnatis oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

Prov. 10. 8. Rex, qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo. *Et v.* 26. Diſſipat impios Rex ſapiens.

Luc. 14. 24. Compelle intrare, ut impleatur domus mea.

Galat. 5. 12. Utinam abſcindantur, qui vos conturbant.

Tit. 1. 13. Increpa eos durè, ut ſani ſint in fide.

Leo ep. 75. *ad Leon. Aug.* Debet imperator incunctanter advertere, Regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, *ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium* eſſe collatam, ut uſus nefarios comprimendo, & quæ benè ſunt ſtatuta defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituas.

Id. ep. 93. *ad Turib.* Eccleſia, Sacerdotali judicio contenta, cruentas refugit ultiones: Severis tamen Chriſtianorum Principum conſtitutionibus adjuvatur, dum ad ſpirituale nonnunquam recurrant remedium, qui timent corporale ſupplicium. Ex quo autem multas provincias hoſtilis occupavit irruptio, & executiones legum interdixêre bellorum tumultus; invenit ad publicam perturbationem ſecreta perfidia libertatem.

Anaſt. II. ep. ad Anaſt. Imp. Hoc præcipuè inſinuo Serenitati tuæ; ut, cùm cauſæ Alexandrinorum patuerint piiſſi-

piiſſimis auribus veſtris; ad Catholicam & ſinceram fidem eos Auctoritate, ſapientiâ, diviníſque veſtris mandatis redire faciatis.

Aug. ep. 166. Julianus deſertor Chriſti & inimicus hæreticis libertatem perditionis permiſit: & tunc Baſilicas hæreticis reddidit, quando templa dæmoniis: eo modo putans, Chriſtianum nomen poſſe perire de terris, ſi unitati Eccleſiæ, de quâ lapſus fuerat, invideret, & ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret

Id. ep. 50. Aliter ſervit Rex Deo, quia homo eſt: aliter, quia Rex eſt; Quia homo eſt, ei ſervit vivendo fideliter: Quia verò etiam Rex eſt, ſervit, leges, juſta præcipientes, & contraria prohibentes, convenienti vigore ſanciendo. Sicut ſervivit Ezechias, lucos & templa Idolorum deſtruendo.

Ibid. infrà. Quis mente ſobrius Regibus dicat? nolite curare in Regno veſtro, à quo teneatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri: Non ad vos pertineat in Regno veſtro, quis velit eſſe ſive Religioſus, ſive ſacrilegus.

Id. ep. 48. Si Donatiſtæ nimiùm inquieti ſunt, quos per ordinatas à Deo poteſtates cohiberi aut corrigi mihi non videtur inutile.... Nam de multorum jam correctione gaudemus.... Qui tamen ad hanc ſanitatem non perducerentur, niſi legum iſtarum vinculis tanquàm phrenetici ligarentur.

Et infrà ibid. Putas neminem cogi debere ad juſtitiam, cùm legas: *Cogite intrare.*

Ibid infrà. Cùm ait Apoſtolus, ſe tradidiſſe quoſdam

Satanæ, ut diſcerent, non blaſphemare; malum pro malo reddidit, an potiùs malos etiam per malum emendare, bonum opus eſſe judicavit? ſi ſemper eſt laudabile, perſecutionem pati, ſufficeret Domino dicere: *Beati, qui perſecutionem patiuntur*; nec adderet, propter juſtitiam: Ita, ſi ſemper eſſet culpabile, perſecutionem facere; non ſcriptum eſſet in ſanctis libris: *Detrahentem proximo ſuo occultè, hunc perſequebar.* Aliquandò ergò & qui eam patitur, injuſtus eſt: & qui eam facit, juſtus eſt.

Id ep. 50. *ad Vincent.* Rex Nabuchodonoſor, divino correptus miraculo, piam & laudabilem legem pro veritate conſtituit..... Hanc legem, ſi qui contempſerunt, id, quod fuerat conſtitutum, meritò perpeſſi ſunt: Debuerunt dicere, quod juſti dicunt, ſe juſtos eſſe, qui ex lege Regis perſecutionem patiebantur; quod utique dicerent, ſi ita inſanirent, ſicut iſti inſaniunt, qui dividunt membra Chriſti, exſufflant Sacramenta Chriſti, & de perſecutione gloriantur.... Et jactant fallaciter innocentiam ſuam: & quam non poſſunt à Domino recipere, ab hominibus quærunt, Martyrum gloriam. Veri Martyres illi ſunt, de quibus Dominus ait: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*: Non ergò, qui propter iniquitatem, & propter Chriſtianæ Unitatis impiam diviſionem; ſed qui propter juſtitiam perſecutionem patiuntur, hi Martyres veri ſunt.

Id. Ep. 48. In his omnibus attenditur, quis pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causâ, quis emen-

emendandi ratione compellatur ..... Quis veſtrûm non laudat leges ab Imperatoribus datas, contra Paganos?

D. Aug. l. 1. cont. Gaud. c. 18. Nunc verò (tempus deplorabile) Chriſtianorum receptores proſcriptionibus territi, pericula formidantes, non ſolùm non recipiunt, verùm etiam videre timent, quos tacitè venerantur. *Reſpondet S. Auguſtinus:* Hoc planè laudo, quòd agnoſcitis vos; ſed quòd non vos corrigitis; doleo.

PROPOSITIO XCVII.

NImis ſæpè contingit, membra illa, quæ magis ſanctè ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici atque tractari tanquàm indigna, ut ſint in Eccleſiâ, vel tanquàm ab eâ ſeparata; ſed juſtus vivit ex fide, & non ex opnione hominum.

PROPOSITIO XCVIII.

STatus perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquàm Hæreticus, flagitioſus & impius, ultima plerúmque probatio eſt, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.

PROPOSITIO XCIX.

PErvicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoſcere, ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſuâ Eccleſiâ poſuit, ut in eâ eſſet odor vitæ, v. g. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla &c.

Digitized by Google

PROPOSITIO C.

TEmpus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejúſque diſcipulos. Tempus hoc advénit.... Haberi & tractari à Religionis Miniſtris, tanquàm impium & indignum omni commercio cum Deo, tanquàm membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ ferróque viros probos, ſi propriâ paſſione eſt excæcatus, aut abreptus alienâ, propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum.

Quis, attentâ mente revolvens has quatuor propoſitiones, occulto horrore non infremit, ſi vel modicum dilectionis & venerationis versùs Matrem Eccleſiam corde foveat? hîc erumpere faciamus latens in illis venenum, tanquàm ex quadruplici ulcere peſſimo, formando deſuper diſcurſum concatenatum, ac jungendo nonnullos terminos, rem ſenſibiliùs exprimentes.

Nimis ſæpè contingit, membra illa, quæ magis ſanctè & magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari à *Papis, Epiſcopis*, ac *Corpore paſtorali* tanquàm indigna, ut ſint in Eccleſiâ, vel tanquàm ab eâ ſeparata: ſed *non multùm curanda ſunt hæc judicia injuſta; quia* juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum, *vices Chriſti in terris gerentium, & quos Chriſtus præfecit regendæ ſuæ Eccleſiæ.*

Quantùm abeſt, ut debeat turbari cor noſtrum aut inquietari propter excommunicationes, à Paſtoribus Eccleſiæ vibratas in

cervices, ſe non ſubmittentium deciſionibus Pontificiis; potiùs agenda ſunt laudes & gratia Deo; quia ſtatus perſecutionis *Papalis, & Epiſcopalis*, item pœnæ, *maledictiones, & anathemata*, quas quis tolerat tanquàm hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerúmque probatio eſt, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.

Reverà credendum non eſt, quòd à Spiritu Dei agantur & dirigantur Paſtores Eccleſia; ſed potiùs eſt pervicacia, præventio, obſtinatio, in nolendo examinare *doctrinam Catholicam, quam condemnant*; aut nolendo agnoſcere, ſe fuiſſe deceptos, *eam condemnando: Et ecce! hac ſunt, qua* mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſuâ Eccleſiâ poſuit, ut in eâ eſſet odor vitæ. v. g. bonos libros *diſcipulorum Janſenij, eorum* inſtructiones, ſancta exempla &c.

Tempus deplorabile, quo creditur *ab omnibus poteſtatibus, à Papis, Epiſcopis, Rege, ejúſque Miniſtris* honorari Deus, perſequendo veritatem, ejúſque diſcipulos. Tempus hoc advénit: *& quidem non ſine dolore corporeis oculis videmus, & experimur ſaculo iſto nequam, quomodò diſcipuli Janſenij patiantur perſecutionem tam crudelem.* Etenim haberi & tractari *à Papis, & Epiſcopis*, Religionis Miniſtris, tanquàm impium & indignum omni commercio cum Deo, tanquàm membrum putridum: capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis, *quales ſunt Janſeniani, & ego Quenellus*, morte Corporis mors terribilior. Fruſtrà *Papa, Epiſcopi, Rex ejúſque Miniſtri ſibi blandiuntur*

tur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ ferróque viros probos, *nolentes ſe ſubjicere deciſionibus Eccleſiæ*, ſi propriâ paſſione ſint excæcati, aut abrepti alienâ, propterea, quòd nihil velint examinare, *nec doctrinam, nec perſonas, quas condemnant.* Frequenter credunt *ex ignorantiâ vincibiliter erroneâ, quæ ipſos non excuſat à peccato*, ſacrificare Deo impium, & ſacrificant Diabolo Dei ſervum, *nimirum me Quenellum.*

Nunquid Lutherus furiis ſuis tumidus, aut Calvinus deteſtatione plenus, unquam aliquid magis impium, & execrabile evomere auſi ſunt contra Eccleſiam Romanam? annon hæ quatuor propoſitiones Quenelli omnium hæreticorum antecellunt calumnias? ecquid dicit ejus Apologiſta, ut diluat exceſſum, tantoperè enormem? „ Omnes iſtæ propoſitiones, inquit, *(a)* nihil niſi verum, „ niſi manifeſtum continent. Vel ſuperficialiter verſatus „ in hiſtoriis Eccleſiaſticis hâc de re convincitur: hiſtoriæ „ illæ nobis ſuppeditant plurima exempla, notatu digniſſima, ad præſentem ſcopum; in iiſdem videmus multitu- „ dinem magnam illuſtrium Sanctorum, qui perſecutio- „ nes paſſi ſunt, & injuſtè oppreſſi ſunt ab ipſis Eccleſiæ „ Paſtoribus: igitur hæ propoſitiones cenſuris affici haud „ potuerunt, niſi fortè Quenello imputetur maligna in- „ tentio, quaſi verò voluerit commovere populum con- „ tra paſtores legitimos, ſpiritum rebellionis inſufflando „ contra Authoritatem tam ſacram, tam gravem primo- „ rum Eccleſiæ Præſulum.'' Ita ſanè; meritò credebatur, Quenellum his propoſitionibus quæſiviſſe commove-

(a) pag. 377. col. 5.

re populum, eíque inſufflare Spiritum rebellionis: nihil ipſi gratìs imputatur, nihil falsò attribuitur. Cauſa abundans id credere compellit: cùm ſole clariùs elucefcat, Quenellum his ſuis propoſitionibus inſinuare, quid actualiter fiat in Eccleſiâ; dicit enim expreſsè: *Tempus hoc advenit, quo creditur honorari Deus, perſequendo Veritatem ejúſque diſcipulos*: quinam ſunt illi, qui his diebus excommunicationes, & perſecutiones patiuntur in Eccleſiâ? súntne alii præter diſcipulos Janſenii? Et quinam ſunt illi, qui excommunicant, & perſequuntur hos innocentes diſcipulos tanquàm impios, indignos omni commercio cum Deo, tanquàm membra putrida, capacia corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum? súntne alii quàm ſummi Pontifices, quàm Paſtores, actualiter Eccleſiam gubernantes? annon eſt Rex, annon ſunt ejús Miniſtri, deciſiones Eccleſiæ Authoritate ſuâ manutenentes? ergò de his loquitur Quenellus in ſuis propoſitionibus; quis contradicet huic evidentiæ?

Dein exempla, ab Authore ſex Columnarum allata, quoad multitudinem magnam illuſtrium Sanctorum, à Paſtoribus Eccleſiæ perſecutionem patientium, non favent Quenello, imò verò ſerviunt ad ejus confuſionem & damnationem. Sancti illi illuſtres, perſecutionem ſuſtinentes, non fuerunt excommunicati à Papis & Paſtoribus Catholicis, prout his diebus excommunicantur Janſeniani: imò verò ſummi Pontifices & Eccleſiæ Præſules ejuſmodi illuſtres ſanctos multò magis honorabant, protegebant, canonizabant: Econtra Paſtores illi indigni, qui perſequebantur hos innocentes, habebantur à majo-

re & ſaniore parte Eccleſiæ pro hæreticis, impiis, ſceleratis; quàpropter Quenellus & armiger ejus deteſtabilem eructant impietatem, quòd comparent diſcipulos Janſenii illuſtribus Eccleſiæ Sanctis, & viciſſim Papam atque Epiſcopos indignis illis Paſtoribus, qui, frequentiùs ipſimet excommunicati ab Eccleſiâ, non erant ejus Paſtores legitimi, ſed magis declarati hoſtes: non ergò injuriam facimus Quenello, eum accuſando ut impoſtorem, qui exſpuerit in faciem Eccleſiæ Catholicæ ſordes, contumelias, & quidquid deſperatiſſima hæreſis ſuggeſſit ſectariis noviſſimorum temporum contra Eccleſiam; Ad quod comprobandum non opus eſt alio argumento, quàm quod Calvinus nobis ſuppeditat in ſuâ præfatione ad Regem Franciſcum Primum, cui ibidem dedicat librum ſuum de inſtitutione Chriſtianâ; ubi clarè videtur, ferè omnes calumnias, quas Quenellus impingit Eccleſiæ ſeptem ultimis propoſitionibus, detractas & transſcriptas eſſe ex Calvino. Quod ut favens Lector oculari experimento percipiat, hîc ponendæ ſunt utriúſque & Calvini & Quenelli propoſitiones alternatim una poſt alteram.

Quenellus: *Nihil pejorem de Eccleſiâ opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri ſuprà fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

Calvinus: Adverſarii noſtri & ſe ipſos & alios ſinunt ignorare, negligere, & contemnere veram Religionem, quam didicimus ex ſcripturâ.... & putant parùm intereſſe, qualem fidem quis teneat, vel non teneat de Deo &

Chri-

Chriſto: dummodò per fidem, ut dicunt, obvolutam & cæcam judicium ſuum ſubmittat judicio Eccleſiæ, non multùm ſolicitus, quòd ejus fides polluta ſit blaſphemiis evidentibus, *dummodò nemo ne verbulum muſſitet contra Authoritatem noſtræ Matris Sanctæ Eccleſiæ*, id eſt, ſecundùm ipſorum intentionem, Romanæ Sedis.... in quo nobis præbent experientiam ſatis ſecuram, quòd ſub titulo & colore Eccleſiæ, *arroganter ſeſe timeri fecerunt in mundo.* Accuſati ſunt Apoſtoli, quaſi commoviſſent populum ad ſeditionem: quid aliud agunt hodiè illi, qui nobis imputant contentiones & turbationes, contra nos inſurgentes? jam verò Elias nos docuit, quæ ſit ipſis danda reſponſio, nimirum: Non nos ſeminamus errores, & *excitamus tumultus, ſed ipſimet, qui volunt reſiſtere veritati Dei.*

Quenellus. *Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleríſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum: adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium;*

Calvinus. Furor quorundam iniquorum taliter ſurrexit in veſtro Regno, *ut nullum reliquerit locum omni ſanæ doctrinæ.*

Quenellus. *Neque ſatis advertitur, quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & ira Dei in filios ſuos.*

Calvinus. Non adeò fortiter premimur eorum altero argumento, quo nos fateri cogunt, vel quòd Eccleſia aliquot annis fuerit mortua, vel quòd defactò bellum moveamus Eccleſiæ....Quoties *Eccleſia oppreſſa fuit bellis, ſe-*

Digitized by Google

ditionibus, hæreſibus, ut nullibi ampliùs ſeſe monſtraverit?...« jam verò quid eſt, quod mundus hodie honorat in Epiſcopis cornutis, niſi quòd reputet eos excellentiores, qui præſunt majoribus civitatibus? abiiciamus igitur æſtimationem tam ſtultam; multò magis concedamus hoc Domino Deo, quòd, cùm ſolus noſcat, qui ſunt ejus, poſſit aliquando tollere ex oculis hominum cognitionem externam ſuæ Eccleſiæ. Fateor quidem, *hanc eſſe terribilem Dei vindictam ſuper terram*: Verùm ſi ſic hominum impietas mereatur, cur conamur contradicere divinæ juſtitiæ?

Quenellus. *Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus Veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi divinæ gratiæ.*

Calvinus. Ecce! cur *omnes ſtatus communi aſſenſu conſpirent condemnare tam nos*, quàm noſtram doctrinam.... attamen oportet, ut doctrina noſtra *conſiſtat elevata, & inſuperabilis ſupra omnem gloriam & poteſtatem mundi*: non eſt enim doctrina noſtra, ſed viventis Dei & Chriſti ejus, quem conſtituit Pater Regem, ut dominetur à mari uſque ad mare.

Quenellus. *Nimis ſæpè contingit, membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici atque tractari tanquàm indigna, ut ſint in Eccleſiâ, vel tanquàm ab eâ ſeparata.*

Calvinus. Gratias Deo, quòd non tam malè profecerimus in Evangelio, *ut vita noſtra non poſſit eſſe his detractoribus exemplum caſtitatis, liberalitatis, miſericordiæ, temperantiæ, modeſtiæ, & omnium aliarum virtutum.* Profectò ve-

Digitized by Google

ritas evidenter pro nobis teſtatur, quòd *timeamus, & honoremus Deum purè*, quando per vitam & mortem noſtram deſideramus, ut ſanctificetur Nomen ejus: Et ipſum os invidorum compulſum eſt, teſtimonium ferre innocentiæ & juſtitiæ exterioris (quantùm ad homines) quibuſdam ex noſtris, qui *ex hoc ſolo puncto morti dabantur, cùm tamen ex eo ſpecialem laudem meruerint.*

Quenellus. *Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tanquàm hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerúmque probatio eſt, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.*

Calvinus. Quid ampliùs dicam? conſidera, Rex, omnes cauſæ noſtræ partes, & judica, nos eſſe omnium perverſorum perverſiſſimos, niſi manifeſtè reperias, *quòd laboremus, & injurias recipiamus atque opprobria; idcircò quòd reponamus ſpem noſtram in Deum vivum*, quòd credamus hanc eſſe vitam noſtram, cognoſcere ſolùm verum Deum, & quem miſit Jeſum Chriſtum: *propter hanc ſpem quidam ex noſtris perpeſſi ſunt carceres, quidam verbera*, alii in exilium acti, alii crudeliter afflicti, cæteri fugâ ſibi conſulunt. *Omnes ſumus in tribulatione, tanquàm maledicti, & execrabiles, inhumanè tractati, & injuriati.*

Quenellus. *Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut cognoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſuâ Eccleſiâ poſuit, ut in eâ eſſet odor vitæ v. g. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla &c.*

Calvinus. Per quam legem doctrina noſtra damna-

ta eſt ?.... jam punctum defenſionis erat, non reprobare hanc doctrinam, ſed eam pro verâ tenere. Hîc ſublata eſt omnis facultas obloquendi, ideò, Rex, non ſine cauſa peto, ut placeat cauſæ iſtius integram haurire cognitionem, *qua cauſa deducta erat confuſè, ſine ordine juris, & potiùs ex ardore impetuoſo, quàm ex moderatione & gravitate judiciariâ....* Verùmtamen confortamur ex hâc cogitatione; quòd S. Paulus teſtetur, hoc accidere perpetuò Evangelio, *ut ſit odor mortis illis*, qui pereunt, quamvis ſit potiùs ordinatum, ut ſit *in odorem vitæ* illis, qui ſalvantur, & potentia Dei in ſalutem omni credenti.

Quenellus. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejúſque diſcipulos. Tempus hoc advénit..... Haberi, & tractari à Religionis miniſtris tanquàm impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquàm membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior.*

Calvinus. Optimè cogitant, *ſe officium ſuum impleviſſe*, ſi neminem morti adjudicant, niſi illos, qui vel ex propria confeſſione, vel ex certis teſtimoniis convicti ſunt..... Potentia quippè adverſariorum Dei hucuſque obtinuit, ut veritas Chriſti, quamvis necdum perdita & diſſipata, nihilominùs ſit abſcondita & ſepulta tanquàm ignominioſa. Et ultrà, quòd pura Eccleſia ſit vel *morte corrupta crudeli, vel in exilium relegata*, vel taliter minis & terroribus exterrefacta, ut non audeat verbum loqui.

Quenellus. *Fruſtrà quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ,*

fer-

Digitized by Google

ferróque viros probos, ſi propriâ paſſione eſt excacatus, aut abreptus alienâ, propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum.

Calvinus. Videbatur mihi conſultum, tradere præſentem librum, ut ſerviret pro confeſſione fidei coram te: ut cognoſcas, qualis ſit doctrina, contra quam tantâ rabie, támque furiosè inflammantur illi, *qui ferro & igne hodie turbant* Regnum tuum; Non enim erubeſcam confiteri, me hîc comprehendiſſe quaſi ſummam ejuſdem doctrinæ, quam ipſi dignam æſtimant *punitione ignis, carceris, exilij, proſcriptionis*, & quam clamant, expellendam eſſe terrâ, maríque. Scio benè, *quàm horribilibus delationibus impleverint aures tuas, & cor tuum, ut coram te cauſam noſtram redderent odioſam*, ... ſed quantumcunque de præſenti cor tuum ſit averſum, & alienum à nobis, addo, imò inflammatum, ſpero tamen, nos iterum recepturos gratiam tuam, *ſi tibi placeat ſemel extra indignationem & iram legere, & examinare hanc noſtram Confeſſionem*, quam volumus ſervire pro noſtrâ defenſione coram Majeſtate tuâ.

Hæ ſunt cantilenæ & lamentationes ordinariæ hæreticorum, quando advertunt, ſe vehementer exagitari à Catholicis, vel ſeverè damnari ab Eccleſiâ. Quandoquidèm ſciant, ait S. Baſilius, homini naturale eſſe, eorum in ſe defenſionem ſuſcipere, qui patiuntur perſecutiones, atque ad commiſerationem moveri eorum infortunio; ideò replent univerſum mundum amaro planctu contra immitem modum, quo tractantur, ut ſimplices

hâc ratione ad compaſſionem provocent, & indè ad ſuas partes. Planctus injuſti, & inſenſati, tam digni cenſuris, ac ipſa eorum doctrina, quam contra deciſiones Eccleſiæ propugnandam ſuſceperunt.

Reipsâ hæ quatuor propoſitiones, prout mox explicatæ, non ſolùm ſunt *falſæ, temerariæ, ſeditioſæ, ſcandaloſæ, favorabiles hæreticis, injurioſæ Eccleſiæ, ac poteſtatibus ſæculi*, ut ad oculum patet, ſed & ſunt *hæreticæ & blaſphemæ.* Hæreſi propoſitionum potiſſimùm in eo conſiſtit, quòd dicant, Eccleſiam erràſſe, deceptámque fuiſſe, damnando doctrinam Janſenii ex defectu ſufficientis examinis. Blaſphemia autem earum eſt, quòd dicant, ſtatum hæretici, ab Eccleſiâ damnati, facere eum magis conformem Jeſu Chriſto.

PROPOSITIO CI.

Nihil Spiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſiâ, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut Nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.

§. I.

Naturalis Senſus Propoſitionis.

Papa, Epiſcopi, Primi Eccleſiæ Miniſtri exigunt in ſignaturâ decantati Formularii Authenticum Juramentum à promovendis ad ſacra officia & beneficia Eccleſiaſtica, præſtandum circa doctrinam, & fructum Janſenii: nihil Spiritui Dei & doctri-

doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quàm *ejuſmodi Juramentum* commune facere in Eccleſiâ, *prout actu fit; hoc enim Juramentum exigere*, eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis & Idiotis, *quorum plurimi numerantur inter ipſos Janſenij diſcipulos*, & efficere, ut Nomen & Veritas Dei, *per Juramentum invocati*, aliquando deſerviant conſilio impiorum, *vel falsò jurantium, vel injuſtè tale Juramentum extorquentium.*

Veritas eſt inter Doctores Catholicos indiſceptata, nunquàm controverſa, licitum eſſe quandóque jurare, tantúmque abeſſe, ut juramentum in ſeipſo peccaminoſum ſit; ut écontra verè exiſtat actus Religionis, quo Deus colitur, quando nimirum cum requiſitis præſtatur circumſtantiis. Ne enim ex antiquo & novo Teſtamento exempla colligamus Sanctorum inſignium, frequenter vocantium Deum in teſtem veritatis ſuorum verborum, vel ſinceritatis ſuarum promiſſionum, exemplum certiſſimum ſit Deus ipſemet, qui per ſemetipſum juravit ad Abraham, ſe multiplicaturum ſemen ejus ſupra numerum arenæ maris, & ſicut ſtellas in firmamento Cælorum.

Verùmtamen iidem Doctores, quandóque juramentum licere aſſerentes, docent præterea conformiter Evangelio, & Patribus Eccleſiæ, juramentum adhibendum eſſe cum ingenti circumſpectione, & præcautelâ, ne temerè, & ex impetu prolata juramenta nonnunquàm deſtituantur debitis circumſtantiis, quibus aliàs licita redderentur & valida. Juxta oraculum

Spiri-

Digitized by Google

Spiritûs ſancti, per os Jeremiæ pronuntiatum, tres ſunt circumſtantiæ principales, ſine quibus nunquàm jurare permittitur. Veritas, Juſtitia, Neceſſitas. Hoc eſt; ut juramentum ſit ſanctum & religioſum, præſtari non debet, niſi pro re neceſſariâ, juſtâ & verâ. Sine neceſſitate jurare in teſtimonium rei nullius momenti, eſt prophanare Nomen Majeſtatis divinæ. Sine veritate jurare in teſtimonium mendacii, eſt injuriare divinam Veritatem; tandem ſine juſtitiâ jurare, eſt inhonorare divinam Sanctitatem: jurare autem cum veritate, juſtitiâ, & neceſſitate, eſt reddere cultum Latrevticum & religioſum tribus his perfectionibus divinis, Deo acceptiſſimum.

Erant olim ex hæreticis, qui ad litteram ſumentes hæc verba Evangelii: *Et ego dico vobis, nolite omninò jurare*, putabant nunquàm juramenta permitti poſſe. Wicleffus hujus erat opinionis. Juramenta, inquiebat art. 43, quæ fiunt pro confirmandis contractibus humanis, & commerciis civilibus, ſunt illicita. Quandóquidem reflexio Quenellina prômanaverit ex eodem Evangelii loco, ex quo Wicleffus ſui erroris occaſionem ſumpſerat, forſitan non immeritò quis ſibi perſuaſerit, Quenellum hâc propoſitione voluiſſe reſuſcitare erroneum antiquioris illius Sectarii documentum: Si verò res propiùs conſideretur, haud ægrè advertitur, Quenellum hoc loco non iraſci contra juramentum, univerſaliter ſumptum, ſed duntaxat illud reprobare, quod Eccleſia à fidelibus exigit pro capeſſendo ſecuriore experimento, quid ſincerè credant, eos adſtringendo ad ſignaturam ſic dicti formularii.

Ipſe-

Digitized by Google

Ipſemet Apologiſta Quenelli nobiſcum ſentit. „ Pa„ ſtores mercenarii, inquit, *(a)* libenter ſuſtinent, quòd „ turbetur Eccleſia quæſtionibus inanibus, prout an„ notatur in propoſitione XCIV, dummodò per hoc eo„ rum dominatus ſuffulciatur. Nunquàm ipſis juramen„ ta videntur commodiùs adhibita, quàm cùm famu„ lantur uſui hujus dominatûs; quapropter tolerant, ea „ multiplicari tantâ facilitate, prout ſatis conquerimur „ in propoſitione CI., & applicari rebus inutilibus. „

Deinde, quodnam aliud juramentum hodie commune eſt in Eccleſiâ, niſi illud, quod exigitur in ſignaturâ Formularii? ergò de hoc ipſo juramento hîc agitur & quæritur; hoc ipſum à Quenello apertè damnatur tanquàm ſummè contrarium divino Spiritui & doctrinæ Chriſti. Sed quare hoc juramentum eſt tam contrarium Spiritui Dei & Doctrinæ Chriſti? Rationes, quas deſuper dat Quenellus, ſunt ſuo Authore digniſſimæ. Quia hoc juramentum, inquit, fit ſine neceſſitate, contra veritatem, & pro injuſtitiâ. 1. Fit ſine neceſſitate, cùm fiat pro rebus, quæ juxta Quenellum *nec fidem, nec mores lædunt*; vel ut Hexapliſta loquitur, *pro rebus inanibus*, & quaſi pro materiis de lanâ caprinâ. 2. Fit contra veritatem; quia, ut prætendit Quenellus, obligatio, ab Eccleſiâ fidelibus impoſita, eſt occaſio perjurii, & laqueus, quem ponit Eccleſia infirmis & ignorantibus. 3. Tandem hoc juramentum fit pro injuſtitiâ, quia penes Quenellum illud à fidelibus exigere eſt facere, *ut Nomen & Veritas Dei de-*

(a) pag. 357.

beat inſervire intentionibus impiorum. Quid magis injurioſum dici poſſit contra Eccleſiam & Paſtores, eam gubernantes?

Nihilominùs hoc loco Quenellus non in ſolos debachatur Eccleſiæ Præſules, ſignaturam Formularii exigentes; phrenetico ſimilis etiam proprios invadit diſcipulos, quos hâc propoſitione laceſſit injuriis: duo enim Janſeniſtarum genera ſunt diſtinguenda. Primi in faciem reſiſtunt Eccleſiæ, nolentes ſe ſubmittere ſignaturæ Formularii. Secundi ſunt, qui, ne priventur beneficiis & gradibus ſacrorum Ordinum, quò aſpirant, ſine hæſitatione exactum juramentum præſtant, licèt perſuaſi ſint, ſe jurare non ſolùm pro re inani, ſed & pro mendacio, & contra juſtitiam.

Primi penès Quenellum ſunt homines illi pii, qui reſpiciuntur, & *tractantur à Miniſtris Religionis tanquàm impii, indigni omni commercio cum Deo, tanquàm membra putrida, capacia corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum*; ſunt viri illi probitatis, quos *omnes poteſtates perſequuntur* igne, ſanguine, & ferro, ex falſo Religionis zelo: hi ſunt viri illi divinæ Majeſtatis famuli, qui ſacrificantur Diabolo, quando vel ex cæcitate propriæ paſſionis, vel ex ſuggeſtione alienæ malitiæ Præſules Eccleſiæ ſibi imaginantur, ſe ſacrificare Deo impium: Vel, ut meliùs loquamur: hi ſunt, de quibus Calvinus; *qui non tam malè profecerunt in Evangelio, ut vita eorum non poſſit eſſe detractoribus exemplum Caſtitatis, Liberalitatis, Miſericordiæ, Temperantiæ, Modeſtiæ, & omnium aliarum virtutum; qui laborant, & pro mercede recipiunt*

Digitized by Google

piunt injurias, opprobria, idcircò, quòd reponant ſpem ſuam in Deum vivum; propter quam ſpem quidam eorum perpeſſi ſunt carceres, alij in exilium acti, alij crudeliter afflicti, cæteri ſe fugâ ſalvârunt; qui omnes ſunt in tribulatione inſtar maledicti & execrationis, injuriati, inhumanè tractati: hi ſunt ſancti Eccleſiæ Janſenianæ, proximè canonizandi, membra ſacratiſſima, & ſtrictiſſimè unita Eccleſiæ: hi ſunt, *qui ultimam experti probationem, & maximè meritoriam perſecutionis, majorem habent cum Chriſto conformitatem.*

Reliqui Janſeniſtæ, numero incomparabiliter majores, ſunt penès Qnenellum animæ dejectæ, *debiles*, ex vili commodo proditores Veritatis: *ignorantes*, eò quòd exiſtiment, ſe poſſe æquivocationibus uti in præſtandis juramentis. Plus ultra; hi ſunt impii, digni extremo ſupplicio, qui ſolemniſſimis juramentis *faciunt famulari Nomen & Veritatem Dei intentionibus impiorum.* Nónne multùm obſtringimur Quenello, quòd effigiem Janſeniſtarum dexterrimo penicillo adumbraverit? ita eſt; tota Synagoga Janſenii, exceptis paucis fugitivis, qui apertè *pro maledicto & execratione* habentur â totâ Eccleſiâ, eſt cætus perjurorum, qui ſemper parati ſunt prodere veritatem, jurando in faciem Eccleſiæ, ſe damnare ut hæreſin id, quod intrinſecùs tenent pro fidei articulo. Ex hâc picturâ, per Quenellum adornatâ, haud difficulter dignoſcuntur prætenſi Reformatores laxæ Moralis, larvati Protectores Veritatis, devoti hypocritæ, conſtanter garrientes de profunda ſui ipſius annihilatione, de abſolutâ ſui reſignatione in manus Dei, de amore puriſſimo

omnis proprii commodi experte. Itaque propoſitio ultima Quenellina tam vera eſt reſpectu imaginis Janſenizantium ad vivum expreſſæ, ac eſt falſa reſpectu imaginis, quam fingit, & pingit de Eccleſiâ Chriſti, ac Paſtoribus, ei præſidentibus. Unde cuique patet, eam quoad hoc poſterius ad minus eſſe *falſam*, *temerariam*, *ſcandaloſam*, *injurioſam Eccleſiæ*, *faventem hæreticis ac hæreſibus.*

§. II.

Probatur Veritas Catholica, Propoſitionibus damnatis oppoſita, ex Scriptura & Patribus.

Deut. 10 20. Dominum tuum timebis, & ei ſoli ſervies: ipſi adhærebis, *jurabíſque in nomine ejus.*

Jerem. 42. *Et jurabis* in veritate, & in judicio, & in juſtitiâ.

Aug. l. 1. *de mend. c.* 15. Refrænet ſe, quantum poteſt, ut non utatur juratione *ſine neceſſitate*; cùm videt homines pigros ad credendum, quod utile eſt, quod credant, *niſi juratione firmentur.*

Paſchal. Papa ad Polonor. Archiepiſc. ex Baron ad An. 1102. Significâſti, frater chariſſime, Regem & Regni majores admiratione permotos, quòd pallium tibi ab Apocriſariis noſtris tali conditione oblatum fuerit, *ſi ſacramentum, quod à nobis ſcriptum detulerant, jurares....* Ajunt omnes, *jusjurandum* à Chriſto Deo in Evangelio *eſſe prohibitum*, nec ab ipſis Apoſtolis poſt Dominum, nec in Conciliis inveniri poſſe ſtatutum. Quid eſt ergò, quòd idem Dominus ſubſequutus ait; *Quod amplius eſt, à malo eſt?* Hoc enim

am-

ampliùs, ut exigamus, malum nos, illo permittente, compellit. Nónne malum eſt, ab Eccleſiæ unitate, à ſedis Apoſtolicæ obedientia reſilire? Quàm multi hoc etiam poſt ſacramentum præſumpſerunt?.... Hoc nimirum malo ac neceſſitate *compellimur, juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere.* *Reſp.* Nónne dici poteſt Janſenianis, contra formularii ſignaturam reclamantibus. Annon malum eſt, Eccleſiaſtica Officia adminiſtrari ab occultis hæreticis? nunquid non benè facit Eccleſia, requirendo juramentum â ſuis Miniſtris pro ſecuritate fidei, obedientiæ & unitatis?

Annal. Baron. ad an. 1176. Interrogavit eos (Albigenſes) prædictus Epiſcopus, *ſi jurarent, ſe tenere fidem iſtam, & credere?* .... Reſpondentes dixerunt, quòd nullo modo jurarent, quia contra Evangelium & Epiſtolas facerent... Auditis itaque utrinque auctoritatibus, ſurgens prædictus Epiſcopus judicavit ſic: Ego Gocelinus Epiſcopus Loduvenſis juſſu & mandato Alberici Epiſcopi & aſſeſſorum ejus judico, & in præſentia dico, quòd malè ſentiunt hæretici iſti de jurejurando, *& debent jurare*, ſi reſipiſcere volunt, *praſtandúmque eſt juramentum, ubi fides periclitatur.* Et quia infames ſunt, & de hæreſi notati, debent purgare ſuam innocentiam, & redeuntes ad unitatem Eccleſiæ fidem ſuam *debent jurejurando aſtruere*, ſicut tenet, & credit Eccleſia Catholica, ne infirmi, qui in Eccleſia ſunt, corrumpantur, & ne oves morbidæ univerſum gregem contaminent.

Idem ad an. 1178. Ipſi verò (*Albigenſes*) ſicut homines

nes tortæ mentis & intentionis obliquæ, tandem hæreſin noluerunt relinquere, ubi craſſum & ſupinum intellectum eorum alicujus auctoritatis ſuperficies videbatur juvare occaſione verbi illius, quod Dominus in Evangelio dixiſſe legitur: *nolite omninò jurare.*

Conc. Rothomag. An. 1581. Propterea *eandem confeſſionem* ſtatuimus exigi, & *ſignari* ab omnibus promovendis ad ſacros ordines, & ad quæcunque beneficia, officia atque onera Eccleſiaſtica, antequàm de illis provideantur *juxta formam præſcriptam.*

Conc. Rhemen. An. 1583. Quoniam Catholica fides humanæ ſalutis fundamentum eſt.... Clericos quotquot poſtmodùm ad ſacros ordines, vel ad aliquod Eccleſiaſticum beneficium, aut officium promoveri contigerit, antequàm admittantur, *etiam profiteri volumus*, juxta eam, quæ eſt â felicis recordationis Pio Papa IV., *præſcriptam formulam.*

Et alia benè multa, quæ referre piget, ex Concilio Bituricenſi, Aquenſi, & Mediolanenſi circa idem objectum.

Finis Tomuli Tertij.

SYNOPSIS
Hæresûm & Errorum,
Qui continentur in Propoſitionibus Quenelli, huic Tomulo Tertio inſertis.

In propoſitionibus XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX.	*Motus omnis voluntatis & amor, qui à Charitate ſupernaturali & propriè dicta non procedit, tanquàm malùs, nefariúſque condemnatur.*
In Prop. L. LI. LII. LIII. LIV.	*Virtutes omnes vanæ, otioſæ infructuoſæ, nec ullátenus Deo acceptæ, abſque verâ & ſupernaturali ac propriè dictâ charitate, dicuntur.*
In Prop. LV. LVI.	*Dicitur, Deum non coronare, nec remunerari niſi charitatem; & per eam ſolam Deum honorari.*
In Prop. LVII. LVIII.	*Docetur, totum deeſſe, nimirum fidem, ſpem, Religionem, omnéſque veras virtutes, peccatori, cui deeſt charitas.*
In Prop. LIX.	*Impiorum oratio de novo peccato accuſatur.*
In Prop. LX. LXI. LXII. LXIII. LXIV. LXV. LXVI. LXVII.	*Gehennæ timor, tanquàm inutilis, malus, pernicioſus, & peccaminoſus rejicitur.*
In Prop. LXVIII.	*Dicitur, Deum incluſiſſe omnia ad ſalutem neceſſaria in fide & precibus.*
In Prop. LXIX.	*Totum fidei meritum & operum ejus excluditur.*

Digitized by Google

In Prop. LXX.	*Negatur, Deum nonnunquam juſtos affligere.*
In Prop. LXXII. LXXIII. LXXIV. LXXV. LXXVI. LXXVII. LXXVIII.	*Excluduntur peccatores & reprobi è gremio Eccleſiæ.*
In Prop. LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. LXXXV.	*Suadetur ſacræ Scripturæ lectio omnibus indiſcriminatim, tanquàm neceſſaria.*
In Prop. LXXXVI.	*Inſinuatur, Divinum officium linguâ vernaculâ perſolvendum eſſe, ſacrúmque Miſſæ Canonem eâdem linguâ pronuntiandum; ut ſimplex populus ſolatium habeat jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ.*
In Prop. LXXXVII. LXXXVIII.	*Statuitur, ſacramentalem abſolutionem indiſcriminatim omnibus peccatoribus differendam eſſe, nec ipſis abſque praviâ ſatisfactione concedendam.*
In Prop. LXXXIX.	*Interdicitur peccatoribus jus aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ.*
In Prop. XC.	*Aſtruitur, jurisdictionem & Auctoritatem Eccleſiaſticam eſſe penès fidelium communitatem.*
In Prop. XCI. XCII. XCIII.	*Subdolè inſinuatur, Prælatorum Cenſuras & excommunicationes deſpiciendas eſſe.*
In Prop. XCIV. XCV. & ſeq.	*Dicitur, Eccleſiam ſeneſcere ac aeſicere, variiſque afficitur contumeliÿs.*
In Prop. XCVI. XCVII. XCVIII. XCIX. C.	*Proferuntur impiæ, calumnioſæ & injuſtæ querimoniæ Janſeniſtarum adversùs ſupremas Poteſtates.*
In Prop. CI.	*Damnatur jurata ſignatura ſic dicti Formularij.*

AP-

Digitized by Google

INDEX

Paragraphorum operis Anti-Hexaplon, & Propoſitionum damnatarum

QUENELLI,

Quæ continentur in eodem opere.

TOMULUS SECUNDUS.

I. Propoſitio. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.* *pag.* 65.

§. I. Naturalis ſenſus Propoſitionis. ibid.

§. II. Conformitas Propoſitionis cum doctrinâ Hæreticorum. 72.

§. III. Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita. 73.

Ex Ratione. 73. Ex Scripturâ. 74. Ex Patribus. 75.

§. IV. Reſpondetur Objectionibus. 79.

§. V. Qualificatio Propoſitionis. 81.

§. VI. Alii errores in Propoſitione contenti. 82.

II. Prop. *Jeſu Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum, abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.* 83.

§. I. Naturalis ſenſus Propoſitionis. 84.

§. II. Conformitas Propoſitionis cum doctrinâ Hæreticorum. 89.

§. III. Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita. 90.

Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. ibid. Ex Patribus. 91.

Digitized by Google

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 96.
§. V. Qualificatio Propoſitionis. 99.
§. VI. Alii errores. &c. ibid.
III. Prop. *Invanùm Domine præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis.* 100.
§. I. Naturalis ſenſus Propoſitionis. ibid.
§. II. Conformitas Propoſitionis cum &c. 104.
§. III. Probatur Veritas Catholica &c. 106.
Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. 107. Ex Patribus. 108.
§. IV. Reſpondetur objectionibus. 112.
§. V. Qualificatio Propoſitionis. 113.
IV. Prop. *Ita Domine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.* 114.
Naturalis ſenſus Propoſitionis. ibid.
V. Prop. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.* 117.
§. I. Naturalis ſenſus &c. ibid.
§. II. Conformitas Propoſitionis cum &c. 121.
§. III. Probatur Veritas Catholica &c. 123.
Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. 124. Ex Patribus. 125.
§. IV. Reſpondetur objectionibus. 131.
§. V. Qualificatio &c. 134.
§. VI. Alii errores contenti in &c. 135.
VI. Prop. *Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum ſuâ gratiâ purificando.* 136.
VII. Prop. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? quæ verò felicitas non eſt, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quòd petit à nobis.* ibid.
VIII. Prop. *Nos non per-*

Digitized by Google

tinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus præcipit. ibid.

§. I. Senſus Naturalis &c. ibid.

§. II. Conformitas propoſitionis cum &c. 140.

§. III. Probatur Veritas Catholica &c. 142.

Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. ibid. Ex Patribus. 143.

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 145.

§. V. Qualificatio Propoſitionis. 148.

§. VI. Alii errores &c. 149.

IX. Prop. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine gratia iſta confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.* 154.

Naturalis ſenſus Propoſitionis. ibid.

X. Prop. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* 156.

XI. Prop. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis, quod jubet.* ibid.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Conformitas Propoſitionum cum &c. 159.

§. III. Probatur Veritas Catholica &c. 161.

Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. ibid. Ex Patribus. 162.

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 169.

§. V. Qualificatio Propoſitionum. 172.

§. VI. Alii errores contenti in Propoſitionibus &c. ibid.

XII. Prop. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.* 174.

XIII. Prop. *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratia ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.* 175.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Reſpondetur objectionibus. 176

§. III. Qualificatio Propoſitionum. 180.

XIV. Prop. *Quantumcunque*

que remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſua gratia, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum. ibid.

Naturalis ſenſus Propoſitionis. ibid.

XV. Prop. *Quando Deus mandatum ſuum & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui ſpiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.* 182.

XVI. Prop. *Nulla ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.* ibid.

Naturalis ſenſus Propoſitionum. ibid.

XVII. Prop. *Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum; quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem filij, nullatenùs eſt doctus à Patre.* 183.

XVIII. Prop. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.* ibid.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Reſpondetur objectionibus. 184.

XIX. Prop. *Dei gratia nihil aliud eſt, quàm ejus Omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis ſcripturis.* 186.

XX. Prop. *Vera idea gratiæ eſt, quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.* 187.

Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

XXI. Prop. *Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela & imitatio Dei incarnantis, & reſuſcitantis filium ſuum.* 189.

XXII. Prop. *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ejus vo-*

voluntatis conſenſu, demonſtratur illicò nobis in Incarnatione veluti in fonte, atque Architypo omnium aliarum operationum miſericordiæ & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio. ibid.

XXIII. Prop. *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.* ibid.

XXIV. Prop. *Juſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei & Jeſu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentiâ ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.* 190.

XXV. Prop. *Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſolâ ſuâ voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur.* ibid.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Conformitas Propoſitionum cum doctrinâ Hæreticorum. 194.

§. III. Probatur Veritas Catholica, Propoſitionibus damnatis oppoſita. 195.

Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. 196. Ex Patribus. ibid.

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 201.

§. V. Qualificatio Propoſitionum. 202.

§. VI. Alii errores incluſi in Propoſitionibus damnatis. 204.

XXVI. Prop. *Nulla dantur gratiæ niſi per fidem.* ibid.

XXVII. Prop. *Fides eſt prima gratia & fons omnium aliarum.* ibid.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. 205.

§. II. Conformitas &c. 212.

§. III. Probatur Veritas &c. 213.

Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. 214. Ex Patribus. 215.

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 220.

§. V. Qualificatio Propoſitionum. ibid.

XXVIII. Prop. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* 221.

Naturalis ſenſus Propoſitionis. ibid.

XXIX. Prop. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.* 224.

Naturalis ſenſus Propoſitionis. ibid.

XXX. Prop. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.* 229.

XXXI. Prop. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.* ibid.

XXXII. Prop. *Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, id eſt, electos, de manu Angeli exterminatoris.* ibid.

XXXIII. Prop. *Proh! quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiâſſe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem & myſteria, ut facit ſanctus Paulus, dicens: qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* ibid.

§. I. Senſus Naturalis &c. ibid.

§. II. Conformitas &c. 235.

§. III. Probatur &c. 237.

Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. 238. Ex Patribus. 239.

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 248.

§. V. Qualificatio &c. 250.

§. VI. Alii errores &c. 252.

XXXIV. Prop. *Gratia Adami non producebat niſi merita humana.* 254.

XXXV. Prop. *Gratia Adami eſt ſequela Creationis, & erat debita naturæ ſanæ & integræ.* ibid.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Conformitas &c. 256.

§. III. Probatur Veritas &c. 258.

Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. 259. Ex Patribus. ibid.

§. IV. Reſpondetur &c. 263.

§. V. Qualificatio &c. 265.

XXXVI. Prop. *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami & ſtatûs innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quòd primam unuſquiſque in propria perſona*

rece-

Digitized by Google

receptſſet: iſta verò non recipitur, niſi in Perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati; cui nos uniti ſumus. 266.

XXXVII. Prop. *Gratia Adami ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt Omnipotens, & digna filio Dei.* ibid.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Conformitas &c. 271.

§. III. Probatur &c. 273.

Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. ibid. Ex Patribus. 274.

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 276.

§. V. Qualificatio &c. 277.

§. VI. Alii errores incluſi in Propoſitione XXXVII. 278.

XXXVIII. Prop. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.* 279.

XXXIX. Prop. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* ibid.

XL. Prop. *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* 280.

XLI. Prop. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris.* ibid.

XLII. Prop. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium Fidei, ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil, niſi indignitas.* ibid.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Conformitas &c. 284.

§. III. Probatur &c. 285.

Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. 286. Ex Patribus. ibid.

§. IV. Reſpondetur &c. 288.

§. V. Qualificatio &c. 289.

§. VI. Alii errores &c. 290

XLIII. Prop. *Primus effectus gratiæ Baptiſmatis eſt, face-*

Digitized by Google

re, ut moriamur peccato; adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi. 291.

Senſus Naturalis &c. ibid.

TOMULUS TERTIUS.

XLIV. Prop. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & Amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.* pag. 1.

§. I. Senſus Naturalis &c. ibid.

§. II. Conformitas &c. 10.

§. III. Probatur Veritas &c. 12.

Ex Patribus. 13.

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 18.

§. V. Qualificatio Propoſitionis &c. 22.

XLV. Prop. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* 23.

§. I. Naturalis ſenſus Propoſitionis. ibid.

§. II. Reſpondetur objectionibus. 26.

§. III. Qualificatio Propoſitionis. 27.

§. IV. Alii ſenſus & errores, qui continentur in Propoſitione. ibid.

XLVI. Prop. *Cupiditas, aut Charitas, uſum ſenſuum bonum vel malum faciunt.* 29.

§. I. Naturalis ſenſus Propoſitionis. ibid.

§. II. Reſpondetur objectionibus. 30.

XLVII. Prop. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt Charitas, quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet externus; alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.* 33.

§. I. Naturalis ſenſus Propoſitionis. 34.

§. II. Probatur Veritas Catholica &c. 37.

§. IV. Qualificatio Propoſitionis damnatæ. 40.

XLVIII. Prop. *Quid aliud eſſe poſſumus niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate.* 41.

XLIX. Prop. *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.* 42.

L. Prop. *Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi! Si Spiritus Charitatis non ille eſt, qui clamat.* 44.

LI. Prop. *Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per Charitatem.* ibid.

LII. Prop. *Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine & ſemine; ſed hæc fides non eſt abſque amore & fiducia.* ibid.

LIII. Prop. *Sola Charitas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum & Jeſum Chriſtum.* ibid.

LIV. Prop. *Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur; eam ſolam Deus audit.* ibid.

§. I. Naturalis Senſus Propoſitionum. ibid.

§. II. Conformitas Propoſitionum damnatarum &c. 48.

§. III. Probatur Veritas Catholica &c. 52.

Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. 53. Ex Patribus. 55.

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 61.

§. V. Qualificatio Propoſitionum damnatarum. 64.

LV. Prop. *Deus non coronat niſi Charitatem, quoniam Charitas ſola Deum honorat.* 65.

LVI. Prop. *Deus non remunerat niſi charitatem, quoniam charitas ſola Deum honorat.* ibid.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Conformitas Propoſitionum damnatarum &c. 68.

§. III. Probatur Veritas &c. 69.

Ex Ratione. ibid. Ex Scripturâ. 71. Ex Patribus. 73.

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 76.

§. V. Qualificatio &c. 77.

Digitized by Google

LVII. Prop. *Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.* 78.

LVIII. Prop. *Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas.* 79.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Probatur &c. 81.

LIX. Prop. *Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.* 84.

§. I. Naturalis Senſus &c. ibid.

§ II. Probatur Veritas Propoſitioni damnatæ oppoſita ex Scripturâ ibid. & Patribus 89.

§. III. Qualificatio Propoſitionis. 90.

LX. Prop. *Si ſolus ſupplicij timor animat pœnitentiam, quò hac eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem.* 91.

LXI. Prop. *Timor non niſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur.* ib.

LXII. Prop. *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.* 92.

LXIII. Prop. *Baptizatus eſt adhuc ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.* ibid.

LXIV. Prop. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando.* ibid.

LXV. Prop. *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo, quòd ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint niſi mancipia per timorem.* ibid.

LXVI. Prop. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicut beſtiæ, ſed per fidem & per amorem ſicuti filij.* ib.

LXVII. Prop. *Timor ſervilis non ſibi repreſentat Deum, niſi ut dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem,* ibid.

§. I.

INDEX.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. 93.
§. II. Conformitas Propoſitionum damnatarum &c. 102.
§. III. Probatur Veritas &c. 105. Ex Ratione, ibid. Ex Scripturâ. ibid. Ex Patribus. 106.
§. IV. Reſpondetur objectionibus. 115.
§. V. Qualificatio &c. 117.
§. VI. Alii errores &c. 119.
LXVIII. Prop. *Quanta Dei bonitas! quæ taliter abbreviavit viam ſalutis, claudendo totum in fide & precibus.* 121.
§. I. Naturalis ſenſus &c. ibid.
§. II. Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Scriptura & Patribus. 123.
§. III. Qualificatio Propoſitionis. 124.
LXIX. Prop. *Fides, uſus, augmentum & præmium fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.* 125.
§. I. Naturalis ſenſus &c. ibid.
§. II. Probatur Veritas Catholica ex Scriptura & Patribus. 129.
LXX. Prop. *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.* 131.
§. I. Naturalis ſenſus &c. ibid.
§. II. Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Scripturis & Patribus. 135.
LXXI. Prop. *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.* 137.
LXXII. Prop. *Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes electos & Juſtos terræ & omnium ſæculorum.* 143.
LXXIII. Prop. *Quid eſt Eccleſia niſi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & exſpectantium gratiam futuri ſæculi.* ibid.
LXXIV. Prop. *Eccleſia, ſive integer Chriſtus, incarnatum verbum habet ut Caput, omnes verò ſanctos ut membra.* ibid.

INDEX.

LXXV. Prop. *Unitas admirabilis Eccleſiæ, quæ eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona; unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.* ibid.

LXXVI. Prop. *Nihil ſpatioſius Eccleſiâ Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium ſæculorum illam componunt.* ibid.

LXXVII. Prop. *Qui non ducit vitam dignam filio Dei & membro Chriſti, ceſſat interiùs habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.* ibid.

LXXVIII. Prop. *Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & Caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.* 144.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Conformitas &c. 152.

§. III. Probatur &c. 155.

Ex Ratione. ibid. Ex Scriptura. 156. Ex Patribus. 157.

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 163.

§. V. Qualificatio &c. 166.

§. VI. Alii errores &c. 167.

LXXIX. Prop. *Utile & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere & cognoſcere ſpiritum, pietatem & myſteria ſacræ Scripturæ.* 169.

LXXX. Prop. *Lectio ſacræ Scripturæ eſt pro omnibus.* ibid.

LXXXI. Prop. *Obſcuritas ſancta verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.* ibid.

LXXXII. Prop. *Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis & ſupra omnia ſanctarum Scripturarum: damnoſum eſt, velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.* ibid.

LXXXIII. Prop. *Eſt illuſio, ſibi perſuadere, quòd notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari fæminis, lectione ſacrorum librorum: non ex fæminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt*

Digitized by Google

eſt Scripturarum abuſus, & nata ſunt hereſes. ibid.

LXXXIV. Prop. *Abripere è Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.* 170.

LXXXV. Prop. *Interdicere Chriſtianis lectionem ſacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.* ibid.

§. I. Senſus Naturalis &c. ibid.

§. II. Conformitas &c. 180.

§. III Probatur Veritas &c. 186. Ex Ratione. ibid. Ex Patribus. 189.

§. IV. Reſpondetur objectionibus. 200.

§. V. Qualificatio &c. 201.

LXXXVI. Prop. *Eripere ſimplici populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ & intentioni Dei.* 205.

§. I. Naturalis Senſus &c. ibid.

§. II. Probatur Veritas &c. 213.

§. III. Qualificatio &c. 218.

LXXXVII. Prop. *Modus plenus ſapientiâ, lumine & charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi, ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequàm reconcilientur.* 220.

LXXXVIII. Prop *Ignoramus, quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.* ibid.

§ I. Senſus Naturalis &c. 221.

§. II. Probatur Veritas &c. 228.

§ III. Qualificatio &c. 232.

LXXXIX. Prop. *Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quòd, cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ.* 237.

§. I. Naturalis ſenſus &c. ibid.

§. II. Probatur Veritas &c 242.

§. III. Qualificatio Propoſitionis &c. 244.

XC. Prop. *Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius corporis.* 246.

§. I. Naturalis ſenſus Propoſitionis. 147.

§. II. Probatur Veritas Catholica, Propoſitioni damnatæ oppoſita, ex Scriptura & Patribus. 253.

§. III. Qualificatio Propoſitionis. 257.

XCI. Prop. *Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro: nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus.* 261.

XCII. Prop. *Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari S. Paulum: Tantùm abeſt, ut ſit erigere ſe contra Authoritatem, aut ſcindere unitatem.* ibid.

XCIII. Prop. *Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.* 262.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Probatur Veritas Catholica, Propoſitionibus damnatis oppoſita, &c. 272.

XCIV. Prop. *Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.* 276.

XCV. Prop. *Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum: adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra comunem captum fidelium; Neque ſatis advertitur, quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos,* ibid.

§. I,

Digitized by Google

INDEX.

§. I. Senſus Naturalis Propoſitionum. ibid.

§. II. Probatur Veritas Catholica, Propoſitionibus damnatis oppoſita, &c. 285.

§. III. Qualificatio Propoſitionum. 287.

XCVI. Prop. *Deus permiſit, ut omnes Poteſtates ſint contraria Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit niſi divinæ gratiæ.* 288.

§. I. Naturalis ſenſus Propoſitionis. ibid.

§. II. Probatur Veritas Catholica, &c. 296.

XCVII. Prop. *Nimis ſæpè contingit, membra illa, quæ magis ſanctè ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata; ſed juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.* 299.

XCVIII. Prop. *Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maximè meritoria, utpote, quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.* ibid.

XCIX. Prop. *Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoſcere, ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidiè quo ad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in eo eſſet odor vitæ, v. g. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla.* ibid.

C. Prop. *Tempus deplorabile! quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos. Tempus hoc advenit .... haberi, & tractari à Religionis miniſtris, tanquam impium, & indignum omni cōmercio coram Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus pijs morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionm puritate, &*

zelo

Digitized by Google

zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ, ferróque viros probos, ſi propriâ paſſione eſt excæcatus, aut abreptus alienâ; propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum. 300.

CI. Prop. *Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones perjurandi, laqueos tendere infirmis, & Idiotis, & efficere, ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.* 310.

§. I. Naturalis ſenſus Propoſitionum. ibid.

§. II. Probatur Veritas Catholica, Propoſitionibus damnatis oppoſita, &c. 316.

Finis Indicis.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX.

INTERPRES LECTORI.

Tibi jucundum & utile, materiis verò impræſentiarum ventilatis perquàm congruum fore æſtimaveram, ſi hic pro coronide apponerem duo quæſita ſeu dubia circa Bullam *Unigenitus* paulò prolixiùs dilucidata. Nec tamen exiſtimare te velim, me horum auctorem exiſtere; non niſi interpres ſum. Utriuſque quæſtionis dilucidationem ex gallico Idiomate in latinum traduxi, & ex diverſis foliis non ejuſdem Authoris in unam congeſſi Epiſtolam, quam ſi non malevolo animo leges, forſitan haud improbabis, quòd huic operi in ſupplementum addiderim. Vale.

Epiſtola.

In quâ reſpondetur ad duo quæſita ſeu dubia ſat magni ponderis circa Bullam *Unigenitus*. Nam quæritur & dubitatur primò. Utrùm verum ſit, Bullam *Unigenitus* ab omnibus Epiſcopis & Eccleſiis totius Europæ Catholicæ authenticè acceptatam, ac non niſi â paucis quibuſdam Epiſcopis in Galliâ rejectam eſſe? Quæritur & dubitatur ſecundò. Utrùm liceat ſacramentalem petere abſolutionem à Presbyteris illis, qui recuſant acceptare Bullam, vel qui ſubſignant ſic dictum formularium appellationis, quam interpoſuêre quatuor Epiſcopi?

Digitized by Google

Amice.

TRiſtis eſt, ut ſcribis, atque admodùm anceps ſtatus, in quo verſaris & fluctuas. Selegeras tibi in arbitrum conſcientiæ virum ſanctum, ut arbitrabaris, Sacerdotem probum & doctum, cui jam dudum omnem conſecrâſti fiduciam. Hic à modico tempore incipit expectorare bilem ſuam contra Bullam *Unigenitus*; hanc reiicit, eáſque tenet ſententias, quas illa damnat: imò inaudis, ipſum adhæſiſſe appellationi, quam nuper interpoſuêre quatuor Epiſcopi, provocantes â dicta Conſtitutione ad Concilium Generale. Modicè te inſtructum fateris in hujuſmodi materiis; nec tamen ignoras, ad ſalutem æternam neceſſe eſſe, ut inviolabiliter ſectemur doctrinam Eccleſiæ, & credamus, quidquid docet Corpus Paſtorum, unitum cum Capite Eccleſiæ, id eſt, cum Vicario Jeſu Chriſti. Hoc totum te illigat ſcrupulis, quos ex te ipſo nec vis, nec vales decidere. Unâ ex parte nolles mutare Confeſſarium: ex alterâ ſtatuiſti, nullum ponere obſtaculum ſaluti tuæ; Dei enim gratiâ ſinceriſſimum ſentis deſiderium te ſalvandi. Blandè precaris, ne graver motos componere fluctus turbatæ conſcientiæ tuæ, reddendo tibi tranquillitatem. Quapropter duplicem ex me petis reſponſionem; unam circa rem Facti, alteram circa rem Juris: quæris enim primò, & dubitas, an veritate nitatur Factum illud, quòd, exceptis paucis Epiſcopis Galliæ, omnes cæteri Europæ Epiſcopi Mandatis authen-

then-

thenticis ſeſe ſubiecerint Conſtitutioni Clementinæ? Quæris & dubitas ſecundò, utrùm tenearis de Jure deſerere tuum Confeſſarium, téque committere alteri? impatienter præſtolaris reſolutionem meam; ſperas, non te fruſtra exſpectaturum tantam, ut inquis, benevolentiam; dic potiùs, non te fruſtra exſpectaturum obſequia mea, quæ plurimis Titulis tum tibi, tum Eccleſiæ Dei ſacroſanctæ debeo: haud tamen diffiteor, te propoſitis meis non nihil violentum eſſe: nam à quo tempore hanc incolo ſolitudinem, ita firmiter decrevi rumpere omne commercium hujus ſæculi, ut ne quidem pretioſas amicorum Epiſtolas admitterem, aut amicis redderem: nihilominùs hâc vice tibi parendum, nec parcendum eſt calamo. Inofficioſum me crederem, imò injurium in orthodoxam Religionem & fidem, ſi recuſarem date reſponſiones, quas petis.

Quæſtio Prima.

UTrùm verum ſit, Bullam *Unigenitus* ab omnibus Epiſcopis, & Eccleſiis totius Europæ Catholicæ authenticè acceptatam, & non niſi à paucis Epiſcopis Galliæ rejectam eſſe? Reſpondeo affirmativè, & dico, Bullam *Unigenitus* ab omnibus Epiſcopis totius Europæ Catholicæ authenticè acceptatam, & non niſi â paucis Epiſcopis Galliæ rejectam eſſe: num dubitas de paucitate Epiſcoporum, Bullam non acceptantium in Galliis? depone

dubia, & audi, quæ certa ſunt: Viginti octo tum Cardinales, tum Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi in duobus primis libellis memorialibus, Duci Regenti præſentatis, ſanctè teſtantur, conſtitutionem *Unigenitus* fuiſſe receptam ſolemnibus Mandatis ferè ab omnibus Galliæ Epiſcopis; (id eſt, ab omnibus, præter quatuordecim;) num dubitas de multitudine Epiſcoporum, Bullam acceptantium extra Gallias? ne dubites de candidâ fide prædictorum viginti octo Præſulum Galliæ, qui ad eundem altefatum Ducem teſtati ſunt, Bullam Unigenitus fuiſſe receptam acceptatione expreſſâ, vel tacitâ omnium cæterorum Epiſcoporum orbis Chriſtiani. Quid? dicendumne, hos viginti octo Præſules impoſturis luſiſſe Celſitudinem Regiam circa Factum tam ſolemne? an attentare auſi fuiſſent tantum nefas? an non deprehendi timuiſſent in tam inſigni commento? quid facilius Duci Regenti, quàm rei veritatem inveſtigare in Regno domeſtico? annon habet Oratores ſuos in Germaniâ, Hiſpaniâ, Luſitaniâ, & in omnibus Aulis Principum Catholicorum? ſupponendumne, Ducem neglexiſſe, veram informationem habere de tali facto, quod ex utriuſque litigantis partis ſententia eſt nodus Gordius, à cujus reſolutione pendet deciſio totius negotii? negotii, inquam, quod ipſi Duci magnoperè cordi eſt, & quo jam à multo tempore occupatur? nemo ignorat, huic Regiæ Celſitudini porrecta fuiſſe Acta Authentica, quibus firmatur fides de acceptationibus illis, quas Catholici allegant; ſi hæc Acta forent ſuppoſititia; ſi univerſalis Conſenſio Corporis Paſtoralis,

ralis,

ralis, cui Acta illa teſtimonium præbent, foret imaginaria, nonne Dux Regens de impoſturâ convinceret Epiſcopos, qui ejúſmodi Acta ipſi præſentárunt? nonne ad minus exprobraret Impoſtoribus, quòd deficerint in debito reſpectu erga ſolium Regis? cùm écontra non ceſſet, ut hactenùs, benignè audire ad ſe recurrentes pro causâ Bullæ.

Verumtamen, dices, his non obſtantibus Factio adverſa nunquam concedet, Bullam *Unigenitus* acceptatam eſſe. Quòd ſi tam audax pernegatio veritatis inconcuſſæ, ut patet ex mox allatis rationibus, ſuſpenderet adhuc judicium tuum, oculos proprios teſtes adhibe, donec plenè te convictum ſentias: volumen illud, complectens omnia mandata Paſtoralia hucúſque per Gallias promulgata, paſſim Fidelium manibus teritur. Non gravêris, ſaltem in eo legere clauſulas perquàm abbreviatas. Videbis centum & quindecim Epiſcopos, qui iiſdem terminis unâ voce declarant, *quòd agnoverint traditionem Eccleſiæ in Conſtitutione* Unigenitus: *quòd illam cum veneratione recipiant, & quòd condemnent librum Quenelli, ejúſque propoſitiones centum & unam inde extractas, eo modo, iiſdémque qualificationibus, quibus Papa eas condemnavit*: Acceptationem æquè ſolemnem reperies in Mandatis Epiſcoporum Flandriæ, nec non in Mandatis Archi-Epiſcoporum Electorum, cæterorúmque Epiſcoporum Germaniæ, quæ aliud volumen efficiunt. Habes igitur acceptationem Solemnem omnium Epiſcoporum ex locis illis, in quibus vel orta eſt controverſia, vel in quibus Epiſcopi non nihil

partis & cauſæ in ſe ſuſceperunt circa lites enaſcentes; & per Conſtitutionem deciſas.

Vidiſti nuper, & audiviſti Quenellum decidentem, (a) *quòd ſolum ſilentium aliarum Eccleſiarum, ſi præter illud nihil aliud ſuffragaretur huic cauſæ, deberet tenere locum conſensûs generalis, qui junctus judicio ſacræ Sedis formaret deciſionem, cui nemo contradixerit, quam nemo auderet non ſequi.* Quando igitur nihil ulteriùs ſuffragaretur cauſæ Conſtitutionis Clementinæ præter ſilentium aliarum Eccleſiarum, jam eſſet hæc Conſtitutio, ex ipſiusmet Quenelli judicio & ſententia, talis deciſio, cui nemo contradixerit, quam nemo auderet non ſequi. Verùmenimverò aliquid ulteriùs ſuffragatur cauſæ Conſtitutionis præter ſolum ſilentium aliarum Eccleſiarum: nam ecce: Eccleſiæ Hiſpaniarum & Luſitaniæ acceptârunt Bullam ritu ſolemni: hujus acceptationis Acta authentica hodie pervolant plurimorum manus: ſcitur inſuper, eam fuiſſe promulgatam Viennæ, Neoſtadii, & in aliis Diœceſibus circumjacentibus; ſcitur, Eminentiſſimum & Sereniſſimum Cardinalem de Saxoniâ, qui eſt Archi-Epiſcopus Strigoniæ, & Primas Hungariæ, eam indubitanter acceptâſſe, unácum omnibus Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis Regni. Quamobrem manifeſtè patet, Bullam *Unigenitus* ab omnibus Europæ Catholicæ Epiſcopis acceptatam, & non niſi â paucis Galliæ Epiſcopis rejectam eſſe: Hæc ſummariè; jam procedamus ad ſingula Epiſcoporum teſtimonia extra Gallias; quibus jungamus ſuffragia nonnullarum Univerſitatum celebriorum; & cùm diſſua-

(a) Tradition de l'Egliſe Romaine &c.

diſſuadeat amica brevitas, integros contextus & Epiſtolas afferre, quibus primi Eccleſiæ Antiſtites pro ſe & Epiſcopis ſuæ Nationis, ſuarúmque Provinciarum Bullæ Clementinæ applaudunt, ſufficiat, ſaltem hic annotâſſe Mandatorum, Epiſtolarum, Declarationum Data, & expreſſiones ſynopticas.

Italia.

SAcrum Collegium Cardinalium ad Cardinalem Noallium de 17. Nov. 1716. urget altéfatum ad acceptandam Conſtitutionem, teſtatúrque, ſe ſperare, *quòd Dom. tua R.... memoratam Conſtitutionem absque uberiori morâ juxta ſincera, integra, promptaque obedientia noſtra normam complexura ſit.* *Teſtim: Eccleſia Univerſalis.* Tom. 1. p. 24.
Cardinalis Boncompagnius Archiep. Bononienſis ad Epiſcopum Nemauſinum *(a)*: *Hoc ipſum Provincia mea Epiſcopi ſanctè profitentur, qui, ſi ab ijs conſulantur, à quibus iſtic tanquàm de his minimè curioſi traducuntur; eorum utique impudentiam debitis caſtigabunt animadverſionibus.* T. 1. p. 42.

Genua.

CArdinalis Fieſquus Archiep. Genuenſis ad Epiſcopum Nemauſinum de 25. Sept. 1717. *Laquale (* Conſtitutione*) eſſondoſi publicata anche in tutto queſto dominio è ſtata univerſalmente ricevuta, per gratia di Dio con quella veneratione & ubbidienza, dovuta alle Catholiche determinationi del ſommo Ponteſice.* Tom. 1. p. 46.

Vene-

(a) de Nîmes.

Digitized by Google

Venetia.

PAtriarcha Venetiarum ad Cardinalem Biſſyum; de 3. Julii. 1717. *Innotuit omnibus hujus ſereniſſimi Dominij Epiſcopis, aliquos Novatores librum Paſcaſij Quenelli iſtic tueri.* Tom. 1. p. 46. *Ad primum reſpondeo, Conſtitutionem S. Patris noſtri Clementis XI., quæ incipit*, Unigenitus &c. *& quæ adversùs librum, cui titulus, Reflexiones morales, edita eſt, notam eſſe apud nos.*

Ad ſecundum; omnes noſtrarum partium Epiſcopos dictæ Conſtitutioni conſtanter adhærere, eámque pro rata, & ſancita lege tenere.

Ad tertium; nullam in regione noſtrâ extitiſſe aut extare Doctorum, aut Theologorum Academiam, differentium aut diſputantium contra dictam Conſtitutionem, ſeu quæ aliter ſentiat, vel doceat, quàm in eâ definitum eſt. Tom. 1. p. 48. & 50.

Sicilia.

Archiep. Panormitanus ad Cardinalem Biſſyum de 18. Sept. 1717. *Admirationis pariter ac afflictionis non modicæ hactenus mihi fuit, audiviſſe, quoſdam Chriſtianiſſimi Galliarum Regni Præſules S. Domini noſtri Clementis Papæ XI. Conſtitutionem* Unigenitus *non modo reluctanti animo rejicere, verùm etiam diverſis, inauditiſque modis impetere; utramque nunc quàm maximè adauget, audire, quòd in ſua inobedientiæ præſidium Siciliæ quoque Epiſcopos eidem Conſtitutioni adverſantes vel dubitant vel jactitant.* Tom. 1. p. 52.

Item. *S. Patris noſtri Clementis XI. Conſtitutio* Unigenitus *ſatìs apud nos nota eſt..... ad ſecundum reſpondeo, univerſos Siciliæ*

Epiſco-

Epiſcopos dictæ Conſtitutioni conſtanter adhærere, eámque pro rata & ſancita lege habere. Tom. 1. p. 54.

Idem Archiep. Panormitanus ad Epiſcopum Nemauſinum de 28. Sept. 1717. *Conſtitutionem Unigenitus non modò habuimus, ſed etiam perſæpè legimus, perpendimus, laudavimus, & ut Catholicam debita excepimus reverentiâ.* T. 1. p. 58.

Archiep Meſſanenſis ad Cardinalem Biſſyum de 29. Sept. 1717. *Reſpondeo, Conſtitutionem ſtatim à principio & mihi & toti Siciliæ innotuiſſe, imo in hoc regno typis mandatam.*

Reſpondeo, quod ad me, & Eccleſiam Meſſanenſem attinet, Eccleſiarum Rectores, Theologi, Canoniſtæ, uno verbo quoquot votum in hac materiâ ferre valent, præfatæ Conſtitutioni conſtantiſſimè adhæremus, ipſam pro ratâ & ſancitâ lege, & quidem graviter conſcientias obligante, firmiter habemus. Tom. 1. p. 64. & 66.

Neapolis.

P. Dominicus viva, Profeſſor Theologiæ in Collegio Neapolitano typis mandavit examen Theologicum ſuper Propoſitiones centum & unam Quenelli pro defenſione Conſtitutionis Clementinæ. Teſtatur in præfatione, quòd hunc laborem in ſe ſuſceperit ex ſolicitatione Eminentiſſimi Cardinalis Urſini, & ex Mandato Eminentiſſimi Cardinalis Pignatelli, Archiep. Neapolitani. Opus dedicatum eſt Cardinali Cornaro, Epiſcopo Paduano. Archiepiſcopus Beneventi viſo opere, illud approbavit, ac ordinavit, ut imprimatur. Permiſſio data eſt de 12. Sept. 1716. Tom. 1. p. 73. & ſeq.

Digitized by Google

Sabaudia & Pedemontium.

MAndatum Epiſcopi Gratianopolitani de 18. Aprilis 1714. relatum eſt in acta Senatûs Chamberienſis. Monitum Procuratoris Generalis ſic incipit. *Extra dubium eſt, univerſos Fideles teneri ad integram ſubmiſſionem deferendam deciſionibus ſacræ Sedis in materiâ fidei.* T. 1. p. 73.

Epiſtola Epiſcopi de Mondovio ad Archiep.... de 18. Febr. 1718. *Atteſto, eſſere ſtata promulgata e ricevuta in queſta mia Dioceſi ſenza veruna minima contraditione, come purè in tutte le altre di queſto Paeſe, per quanto ne ſono informato &c. Tale ſempre è ſtata la conſuetudine di queſti ſtati, laccogliere con humiliſſima e figliale ubbidienza tutti li Decreti dogmatici d'ei Papi, allor quando doppo private epubliche preghiere, conſulta d'ei Theologi decidano ex Cathedra, come appunto è ſucceduto nel caſo preſente.* T. 2. p. 230.

Ordinatio Vicarii Generalis S. Officii Taurinenſis de 29. Aprilis 1714. pro Bullâ *Unigenitus*, promulgandâ ad omnes fideles. Tom. 2. p. 235.

Atteſtatio plurium Abbatum, Superiorum, & Doctorum Taurinenſium de 11. Martii 1718. *Nos infraſcripti atteſtamur, Bullam.... Unigenitus..... fuiſſe in hâc noſtra Regali urbe publicatam, nemine repugnante, neque contradicente.* Tom. 2. p. 236.

Germania.

EPiſtola ſereniſſimi Archiep. Moguntini ad Cardinalem Biſſyum, de 14. Martii 1718. *Eminentiam tuam certifico, prælaudatam Bullam jam aliquibus abhinc annis in memorato meo Archiepiſcopatu, atque etiam in Epiſcopatu meo Bam-*

bergenſi publicatam ab omnibus, & per omnia debitâ ſanctæ Sedi obedientiâ acceptatam, neque ab ullâ ſtatûs Eccleſiaſtici, vel Sæcularis, aut Academici conditione in unico puncto eidem contradictum fuiſſe.... nec mihi aliter de Epiſcopis Metropolitanæ meæ jurisdictioni additis conſtare. Tom. 2. p. 78.

Epiſtola defuncti Electoris, Archiep. Trevirenſis, & Epiſcopi Oſnabrugenſis &c. ad D. Nuntium Colonienſem de 2. Novembr. 1713. in quâ teſtatur, ſe curaturum, ut Bulla *Unigenitus* obſervetur per omnes ſuas Diœceſes. *Maggiore ſara la mia vigilanza, in fare, che la predetta Bolla venghi eſſatamente oſſervata nelle mie Dioceſi.* Tom. 2. p. 78. Ejusdem Mandatum pro publicatione Bullæ de 22. Februar. 1715. Tom. 2. p. 82.

Mandatum Archiep. & Electoris Trevirenſis hodiè regnantis, de 22. Junii 1717. in quo reprobat appellationem factam ad futurum Concilium; ſimul declarat, quòd nullos velit admittere ad miniſteria Eccleſiaſtica, niſi illos, qui ſcriptotenùs promiſerunt ſubmiſſionem prædictæ Conſtitutioni. *Cùm nobis relatum fuerit.... qualiter quidam Novatores ſeu potiùs Eccleſiæ & pacis turbatores.... contra præfatam Bullam Unigenitus appellationis ad futurum Concilium in dogmaticis ſemper reprobatæ, in deploratis verò tantùm perditiſque cauſis pertinaciæ azylum arripere &c.* T. 2. p 94.

Specialiter declarantes neminem poſthac ad ſuſcipiendos ordines ſacros, Eccleſiaſtica beneficia, vel officia, excipiendas confeſſiones, prædicandum verbum Dei, ſeu dirigendas animas admiſſum iri, niſi.... declarando, ſe Bullam Clementinam Unigenitus, ea, quâ par eſt, integritate & devotione recipere, ejuſque tenorem quoad omnia ſequi, nec eidem in minimo directè vel indirectè contraire velle. T. 2. p. 102.

Atteſtatio Vicarii Generalis Colonienſis, de 28. Decembris 1714. Teſtificamur, Conſtitutionem .... *Unigenitus*.... per civitatem & Archidiœceſim Colonienſem debitè publicatam & ubique eâ, quâ par eſt, reverentiâ ſine ullâ oppoſitione, aut renitentiâ, quantum hactenus innotuit, receptam. T. 2. p. 104.

Mandatum Archiep. & Electoris Colonienſis, Epiſcopi Hildeshemiani, Ratisbonenſis, & Leodienſis de 29. Januar. 1715. in quo damnat, & prohibet omnia ſcripta & impreſſa contra Conſtitutionem *Unigenitus*.

Mandatum Epiſcopi Termopenſis, Adminiſtratoris & Vicarii Generalis Leodienſis pro publicatione Bullæ *Unigenitus* de 15. Novembris 1713. Tom. 1. p. 114.

Epiſtola Epiſcopi Rhodiopolitani, Vicarii Generalis Hildeshemiani de 30. Octobris 1713. in quâ promittit ſervare, & ſervari curare Conſtitutionem Clementinam. Tom. 1. p. 114.

Epiſtola Epiſcopi Spirenſis de 4. Novembris 1713. in quâ idipſum ſpondet. Tom. 1. p. 116.

Epiſtola Epiſcopi Herbipolitani ſub eodem dato, & idipſum promittentis, quod priores.

Epiſtola Epiſcopi Paderbornæ & Monaſterii de 4. Januarii 1715. in quâ dicit, quòd propoſuerit Bullam Clericis Diœceſis Monaſterienſis, in Synodo congregatis: item quòd dictam Bullam publicari fecerit per ſuam Diœceſim Paderbornenſem; & quòd cum applauſu fuerit recepta ab omnibus. Tom. 2. p. 118.

Mandatum ejuſdem de 21. Martii 1715. pro cenſurâ

&

& ſuppreſſione omnium librorum, dictæ Conſtitutioni adverſantium. Tom. 2. p. 120.

Epiſtola Archiepiſcopi Salisburgenſis, Primatis Germaniæ, ad Cardinalem Biſſyum de 21 Octobris 1717. *Eminentiam veſtram ignorare nolui, haud aliter mihi conſtare, quàm quòd Epiſcopi mei Comprovinciales,* (intellige Epiſcopos Auſtriæ, Bavariæ, Tyrolis) *exemplo meo illam pro juſtiſſima habeant, atque totâ veneratione amplectantur.* T. 1. p. 128.

Item. *Eminentiam veſtram nolui ignorare, Academiam hancce meam Salisburgenſem, non ſecus ac Grezenſem unanimi voto memoratam Conſtitutionem pro infallibili, & dogmatica non agnoviſſe duntaxat, verùm etiam palam declaráſſe, ſe ejus veritatem omni ſtudio & opere ſemper propagaturam.* T. 1. p. 128.

Teſtimonium Rectoris Univerſitatis Salisburgenſis ſub directione RR. PP. Benedictinorum florentis; quæ atteſtatur de 15. Octobris 1717. quòd firmiter credat, ſe teneri ad defendendam & reſpiciendam ſanctiſſimam Conſtitutionem *Unigenitus.* Tom. 1. p. 130.

Mandatum Epiſcopi Baſileenſis de 7. Febr. 1715. *Omnibus inhibemus, ne dictum librum damnatum aut quoſvis alios . . . . , qui contra dictam Conſtitutionem hactenus prodierunt . . . . penes ſe retinere, aut aliàs tueri temerè præſumant.* T. 1. p. 150.

Declaratio facultatis Theologicæ Colonienſis, ſolemniter congregatæ: in quâ congregatione præſentes erant 25. Doctores, qui ſubſcripsêre; 40. Licentiati: 38. Baccalaurei, & numerus Studioſorum fermè innumerus. Actum 11 Januar. 1715. *In Congregatione Generali Facultatis*

Theologiæ habita in Aula Theologica, omnibus conſidentibus.... reſponderunt unanimiter: Laudamus, probamus, damnata damnamus ore & animo, credimus, docebimus, & profitebimur, nec à definitis recedemus, quamdiu ſumus. T. 1. p. 158. & 162.

Bohemia.

EPiſtola Archiepiſcopi Pragenſis, Primatis Bohemiæ, de 18. Decembris 1717. ad Cardinalem Biſſyum. *Memoratum Paſchaſii Queſnellij librum in mea Archidiæceſi mediante publico programmate.... inhibui, atque proſcripſi, quod & ſuffraganeis inclyti Regni Bohemiæ Epiſcopis notum feci. Harum partium Epiſcopi, nominatim Bohemiæ, hanc Conſtitutionem pro lege dogmatica habent.* T. 1. p. 136.

Mandatum ejuſdem Archiepiſcopi de 11. Martii 1715. pro condemnatione libri Reflexionum moralium &c. *Hanc Apoſtolici cenſuram judicij omnibus ac ſingulis hiſce intimatam eſſe volumus.* T. 1. p. 142.

Polonia.

EPiſtola Archiepiſcopi Gneſnenſis, Primatis Poloniæ & Lithuaniæ ad Cardinalem Biſſyum de 27. Julii 1717. *Conſtitutio Unigenitus nota pridem eſt apud nos, & noſtrarum partium Epiſcopi dictæ Conſtitutioni conſtanter adhærent, eámque pro ratâ, & ſancitâ lege habent. Academiarum denique noſtrarum Doctores ac Theologi nefas eſſe putant aliter ſentire, & docere, quàm in prædictâ Conſtitutione definitum eſt.* T. 2. p. 104.

Hungaria.

EPiſtola Cardinalis de Saxoniâ, Archiepiſcopi Strigonienſis, Primatis Hungariæ ad ſummum Pontificem

de 17. Junii 1717. *Non è capace il calamo mio, di ſpiegare a baſtanza il ramarico grande, che provo nell'udire le indegne calunnie ſparſe in tanti libelli venuti da Francia e d'Olanda, quaſi ed io, & il regno di Hungaria haveſſe ricuſato di ſottometterſi alla Conſtitutione Unigenitus, e ch'aveſſe adderito à ſentimenti coſi ſcandaloſi di pochi Veſcovi di Francia, mentre non ſolo io, ma ne pure il ſudeto Regno di Hungaria è capace d'aver ſimili ſentimenti.* T. 2. p. 110.

Epiſtola ejuſdem ad Cardinalem Biſſyum, cui tranſmittit exemplar Epiſtolæ prædictæ ad Papam. *Debitas Eminentiæ tuæ refero gratias, quòd mihi notificare voluit, paucos aliquos ex Clero Gallicano eſſe, qui id vulgaverint, quaſi Clericus Hungariæ ipſorum rebellioni quoad ſuæ Sanctitatis Bullam, quæ incipit* Unigenitus, *adhæreret.* T. 1. p. 114.

Item. *Si nos Hungariæ Epiſcopi ex noſtris unicum ſaltem Doctorem aut Theologum ſciremus, qui in minimo diabolicam hanc ſectam profiteretur, is profectò abſque ullâ conſideratione in perpetuis carceribus pœnas lueret.* Tom. 2. p. 116.

Ibidem. *Nos Hungariæ Archiepiſcopi, & Epiſcopi nolumus infringere, aut violare juramenta, depoſita tempore conſecrationis noſtræ.... prouti Eminentiæ tuæ prædeclarata bina juramenta, & exinde ſuæ ſanctitati debitâ ſtrictiſſimâ obedientiâ uberrimè nota eſſent.* T. 2. p. 116.

Hiſpania.

MAndatum Cardinalis de Judice, Archiepiſcopi Monteregalenſis in Siciliâ, Generalis Inquiſitoris in Hiſpaniâ, pro publicatione Bullæ *Unigenitus* de

Digitized by Google

de 7 Junii 1715. jubet publicari ſuum Mandatum per omnes Eccleſias Metropolitanas, Cathedrales & Collegiatas, atque affigi ſuper valvas dictarum Eccleſiarum. *Y mandamos, que eſte neuſtro edicto ſe publique en todas las Igleſias Metropolitanas, Cathedrales, y Collegiales de los Reynos de ſu Mageſtad, en los lugares de Cabeca, de Patrido, y que de lectura le fixo traſſado, è teſtimonio autentico en vna de las puertas de dichas Igleſias.* Tom. 1. p. 184.

Mandatum Inquiſitorum Apoſtolicorum in civitate Toletanâ de 12. Julii 1715. pro publicatione Conſtitutionis; quod Mandatum etiam intitulatum eſt nominibus Epiſcoporum de Avilâ, Sigoviâ-& Seguntiâ, conjunctim cum Inquiſitoribus Apoſtolicis judicantium. T. 1. p. 178.

Epiſtola Archiepiſcopi Cæſar-Auguſtani ad Epiſcopum Nemauſinum de 28. Auguſt. 1717. cùm actu viſitaret ſuam Diœceſin. *Refractarij homines ...., ſe nec audire nec videre, nec intelligere affectant illius Conſtitutionis in univerſa Eccleſia acceptationem, quam nemo niſi ab Eccleſia alienus, aut in eâ prorſus Idiota ignoret, & quam nemo niſi novitatum Artifex, & novas hujuſque abſconditas acceptandi leges condens, aut palato tantum ſuo condiens revocaverit in dubium.* T. 1. p. 184.

Epiſtola ejuſdem Archiepiſcopi de 15. Octobris 1717. poſt ejus reditum ex viſitationibus ſuæ Diœceſis. *Caterùm quod noſtram Hiſpaniam attinet, ex certa ſcientia valde aſſeveranter teſtamur, & fidem facimus, imò & fidei jubemus, in Arragonia Regno, & in Hiſpania Provincijs omnes omninò Epiſcopos, omnes Eccleſias, omnes Academias, omnes Religioſos Ordines, omnes cujuscunque conditionis homines, ſummâ veneratione purè & ſimpliciter*

plici-

Digitized by Google

ſimpliciter acceptaviſſe prædictam Conſtitutionem, tanquàm ſcriptam digito Dei vivi, & oraculum Spiritûs ſancti, ita u nemo quiſpiam ex toto aut ex parte contrarium muſſitaverit, nec iſtâ aut apicem unum expunxerit, aut expungi ab ullo Catholico poſſe crediderit. T. I. p. 194.

Dein conqueritur, Epiſcopos Hiſpaniarum accuſari, quaſi ne quidem legant Conſtitutiones papales, cùm eas recipiunt, contra quod mendacium clamat tanquam contra calumniam intolerabilem, omni veriſimilitudine ſpoliatam, ac dicit: *Si muneris & officij ſui obligatio ad Conſtitutionis ſenſus inſpiciendos non promoviſſet, promoveret ſaltem pleróſque curioſitas quædam ſtudioſa, & innata novitatum aviditas.* T. I. p. 206.

Neque idcircò, inquit ulteriùs, *illius definitiones negligimus aut non curamus inſpicere, rimari, & examinare, ut Novatores blaterant, quin potiùs, quia infallibilem credimus, ſedulò ſtudemus introſpicere, ut ab eo tutiùs & certiùs edoceamur, ut corrigamus, ſiquid hactenùs contra ſenſimus, ut caveamus, ne quid diſſonans impoſterùm ſentiamus, aut doceamus, utque oves nobis ex alto creditas ex ſalutari doctrina tanquàm cæleſti pabulo, quando & ubi opus fuerit, alamus, & paſcamus* T. I. p. 208.

Poſt hæc de mendacio & calumniâ arguit illos, qui dicunt, Inquiſitionem juſſiſſe promulgari Bullam ſine præſcitu & approbatione Epiſcoporum; *ad fabulas rursùs ijdem convertuntur, cùm clamitant, quòd ſacra Inquiſitio illam Conſtitutionem quibusdam in locis promulgandam curavit, ſed inſcijs Epiſcopis, aut minimè conſentientibus.* T. I p 204.

Refutat has fabulas, dicendo, quòd Epiſcopi videant

& approbent Conſtitutiones, quas Inquiſitio publicari curat; quòd publicentur in ipſorum Eccleſiis Cathedralibus; quòd de licentiâ Epiſcoporum imprimantur &c.

Epiſtola Archiepiſcopi Burgenſis ad Epiſcopum Nemauſinum de 1. Septembris 1717. *Quidquid nos,.... dixerimus, hoc de Coëpiſcopis noſtris & omnibus, nullo dempto, Eccleſiæ Hiſpaniæ Præſulibus, uno cordis & oris aſſenſu dictum teſtamur.... Quâ ſinceritate ſaluberrimæ S. Pij V. & Gregorij XIII. contra Baïum, Innocentij X. Succeſſorúmque Conſtitutiones contra Janſenium, eâdem contra Queſnellium Clementis XI. Conſtitutionem vidimus, & in ſenſu obvio ſuſcepimus.... atque id quoque ipſum eſt, quod jam in orbis Catholici medio teſtificamur libentiſſimi, nec à clamando ceſſaturi, ſed quaſi tubâ vocem exaltaturi noſtram, quamdiu fuerit opus, ut ſtrenuis commilitonibus noſtris in Epiſcopatu condignis fratribus, qui ſic ſtrenuè in Galliæ campo pro veritate decertant, ſuppetias afferamus.* T. 1. p 216.

Paulò infrà ſubjungit; *& eſt evidentia facti, quâ vel ſolâ oporterent obſtrui debachantia ora Novatorum. Noluit in ſummo Præſule infallibilitatem agnoſcere, niſi ab Eccleſia recipiantur effata pontificia. Ecce affatim acceptatam ab Eccleſiâ Conſtitutionem* Unigenitus, *nempe ab omnium fidelium cœtu, extra Galliam nullo refragante, atque in Galliâ ipſa longè à majori potioríque parte.... Fiat inſuper, quò appellant, poſtremò Concilium Generale; ecce adſumus ipſi, qui tunc eſſemus. Nulla tunc habetur ratio de paucis aliquibus contra reliquos Epiſcoporum, Papa Duce; nulla de quovis numero gregalium aliorum, nulla ergo & habenda nunc ratio de hominibus iſtius modi.* T. 1. p. 218.

Epiſtola Archiepiſcopi Granatenſis ad Epiſcopum

Nemauſinum de 1. Sept. 1717. Hic Præſul octogenario major Stylo, zelo Domini, eloquentiâ & modeſtiâ pleno, refutat pedetentim omnes calumnias Epiſcopos Hiſpaniæ accuſantium, quaſi reciperent Conſtitutiones papales ſine præviâ earum lectione, quaſi permitterent, eas publicari ipſis inſciis & non conſentientibus : damnat appellationem ad futurum Concilium ; teſtaturque, Epiſcopos Gadenſem & Ablarenſem acceptâſſe Bullam *Unigenitus* per ſolos ſuos Suffraganeos &c.

Epiſtola Archip. Toletani ad Papam de 1. Octobris 1717. Conqueritur contra eaſdem mox memoratas calumnias, quas ut confundat, teſtatur S.mo Patri, Nomine omnium Epiſcoporum Hiſpaniæ, quanto affectu ſe ſubmittant Conſtitutioni : *Animo ſincero, ex toto corde, & ex viſceribus totis dictam Conſtitutionem* Unigenitus Dei Filius, *ſecundùm omnes & ſingulas ejus partes admittimus, amplectimur, acceptamus.... Quare ut execrandum Anathema ſit, & veluti prævaricator Catholicæ fidei ſemper apud Deum reus exiſtat, quicunque dictæ Pontificiæ Conſtitutionis cenſuram in quocumque crediderit, vel permiſerit violandam.* T. 1. p. 238.

Epiſtola ejuſdem ad Cardinalem Biſſyum, de 13 Novembris 1717. *Ad interrogata, Eminentiſſime Domine, Eccleſiarum Præſules, Univerſitatum Doctores, univerſus imò Hiſpanus orbis uno verbo, ſed fideliſſimo, affirmativè, concorditer reſpondebit. Nam cùm editam Conſtitutionem* Unigenitus *Eminentiſſimus Cardinalis de Judice, tunc Generalis fidei Quæſitor, in ſingulis Cathedralibus, & Collegiatis juſſerit ſolemni ritu promulgari; nemine blaterante publicatâ Conſtitutione prædictâ, in valvis Eccleſiarum affixâ, & ab oculatis fidelibus debita attentione*

perlectâ notam eſſe & acceptatam reverenti ſilentio; quicunque fronti gerit oculos, ſi ignorantia morum Hiſpaniæ non cæcutit, teſtis erit. T 1. p. 242. & 244.

Epiſtola Epiſcopi Terraſſonenſis ad Epiſcopum Nemauſinum de 22 Auguſt. 1717. *Diſperſis à Novatoribus fabulis.... dolemus potiùs, quàm admiramur: cùm ea perpetuò fuerit Hæreticorum indoles, ut, quam malam cauſam armis juſtitiæ, id eſt veritatis.... propugnare non valent, eandem technis, figmentis, ac portentoſis mendaciÿs tueantur. Certè quod ad Hiſpaniam noſtram attinet, Celſitudini veſtræ ſanctiſſimè obteſtari poſſumus ac debemus, in hâc noſtrâ, cæteriſque omnibus regnorum horum Provinciÿs, quotquot ſunt, Præſules, Eccleſias, Accademias, Litterarum Collegia, ſacrorum hominum cætus, ac cujuſvis ordinis, & Conditionis homines, omnes ad unum ſapientiſſimam..... Conſtitutionem* Unigenitus *unanimi confeſſione acceptâſſe, ac ſummâ reverentia, ut par eſt, ceu Spiritûs ſancti oraculum ſuſcepiſſe, atque ſuſpexiſſe.* T. 1. p. 250. & 252. allegat deinde in prædictorum confirmationem authentica & publica teſtimonia Univerſitatum Conimbricenſis & Salamanticenſis: tum ſic pergit; *Nec eſt, cur quiſpiam prætexat, prædictam Conſtitutionem à ſacris hiſce in Regnis Inquiſitoribus promulgari juſſam; id enim, ut omnibus notum eſt, nullatenùs eſt effectum inſciÿs aut invitis ſacris Præſulibus, ſed conſciÿs, ſed conſentientibus, ſed plaudentibus, ac ſummâ curâ connitentibus, ut à vicinâ & ſerpenti contagione oves ſibi creditas præſervarent.* T. 1. p. 254.

Epiſtola defuncti Cardinalis de Aarias, Archiep. Hiſpalenſis ad Papam. *Secundùm Sapientiam & Poteſtatem deſuper*

ſuper

ſuper tibi datam, ſpiritu oris tui, B.^me P. horrificum Janſeniſmi monſtrum ſtrenuè interfeciſti. T. 1. p. 260. *Cujus definitivi decreti textum quiſpiam ſi uſque ad unum jota diſputaverit, & non illud in omnibus venerabiliter receperit, Anathema eſt.* T. 1. p. 264.

Epiſtola Epiſcopi Bagoxani ſeu Pax-Auguſtani *(a)* ad Papam de ultimo Decembris 1717. *Miror, cur apud quoſdam Eccleſiaſticos Gallos tam pernicioſus aut hæreticus error increverit, ut Conſtitutioni* Unigenitus, *jam toto orbe Chriſtiano recepta, non aſſentiantur.* T. 1. p. 272.

Epiſtola Capituli Eccleſiæ Cathedralis Hiſpalenſis ad Papam, ſede vacante, de 24. Sept. 1717. *Duplicem Sanctitatis veſtræ Conſtitutionem accepimus.... alteram incipientem,* Vineam Domini Sabbaoth... *alteram cujus initium eſt,* Unigenitus Dei Filius.... *utramque cæcâ fidei obedientiâ amplexati ſumus.... non quaſi aſſenſu noſtro aliquid illis authoritatis, aut roboris adderemus, ſed ut obſequii, Sanctitati Veſtræ jure debiti, nobis gloriam poſſemus vindicare; quod quidem vel uſque ad ſanguinis profuſionem & omnes & ſinguli maximo animi ardore, & veriſſimâ conſenſione Sanctitati Veſtræ præſtandum clarâ voce in noſtro Capitulo conteſtati ſumus.* T. 1. p. 286. & 288.

Epiſtola Univerſitatis Salamanticenſis ad Papam de 19. Auguſt. 1716. Epiſtola ſubſignata eſt â Cancellario, octo Profeſſoribus, & Secretario Univerſitatis. *Id habet optatiſſimum Salamanticenſis Academia, quòd, cùm incitato, avido, & ardenti ſit flagrans ſtudio, omnem amorem, induſtriam, laborem in exequendis Sedis Apoſtolicæ tuæque Beatitudinis præceptis impendere, tum etiam ipſum ſit apud omnes populos;*

(a) de Badaioz.

urbes, regna, totum denique terrarum orbem pervulgatum. T. 1. p. 302.

Epiſtola ejuſdem Univerſitatis ad Archiepiſcopum Arelatenſem de eodem dato. *Salamanticenſis Academia credidit nunquam, quas conceperit Pontifex Conſtitutiones, niſi obſtetricantibus Academiis in lucem prodire non poſſe.* T. 1. p. 322.

Subjungit ibidem. *Hæc Amſtelodamenſibus typis mandata per Europam circumferuntur paſſim, Salamanticenſem Academiam, cui miſſa priùs à Cardinali Inquiſitore fuerat Conſtitutio* Unigenitus, *ſuorum conſenſu Theologorum, eandem reſpuiſſe Conſtitutionem: atque his quidem de cauſis, quòd inibi divi Auguſtini, & divi Thomæ damnaretur Doctrina.... cohorruimus ad impoſturæ malitiam.* T. 1. p. 318.

Epiſtola ejuſdem Univerſitatis de eodem dato ad Sorbonam. *Verùm quod oportebat, quo ferimur amore, quâ in Apoſtolicam Sedem propenſione, impiè à Novatoribus tractatam Conſtitutionem* Unigenitus *uti juſtiſſimam, atque diſſenſionibus, diſcordiis, erroribus præcedentis utilem, maximéque neceſſariam judicavimus, probavimus, amplexi ſumus.* T. 1. p. 340

Luſitania.

MAndatum Cardinalis de Acunha, Generalis Inquiſitoris in Luſitania de 21. Januarii 1715 pro publicatione Bullæ *Unigenitus*, ac Cenſurarum per eam latarum. Præcipitur omnibus Abbatibus, Prioribus, Rectoribus, Curatis, & Superioribus Conventuum, ac Dominiorum Luſitaniæ, ut legant & publicent præſens

Man-

Digitized by Google

Mandatum in ſuis Eccleſiis ſub concione, ac poſtmodùm illud affigant valvis Eccleſiarum &c. T. 2. p. 2.

Epiſtola Patriarchæ occidentalis Ulyſiponenſis ad Epiſcopum Nemauſinum de 28. Sept. 1717. *Illud tamen unum miramur magìs, quòd ſcilicet eò pervenerit Superborum hominum inſolentia, ut omni alij nationi, præter Galliam, notam audeant inurere fœdiſſimæ ignorantiæ, vel ſtupiditatis, conniventiæ, vel ad minimum viliſſimæ omiſſionis, dum nimirùm effutiunt, ut aſſeritis Illuſt.*[me] *Præſul, excepto Clero Gallicano, vix ullum eſſe Epiſcopum, ac nec vix quidem, qui Conſtitutionem* Unigenitus *fortè legerit, aut, ſi legit, intellexerit, ab Inquiſitione fuiſſe quidem alicubi promulgatam, ſine conſenſu & ſcientiâ Epiſcoporum, à quibuſdam fuiſſe acceptatam, ex ſolâ tamen, (quam credunt) infallibilitate Pontificis, quin curarent definitiones inſpicere. Certè Illuſt.*[me] *Præſul, ſi ſemper aliàs, nunc maximè vera eſt paræmia inter Gallos tritiſſima: Nemo Janſeniſtis mendacior.* T. 2. p. 12.

Poſt hæc declarat mentem ſuam, ac Epiſcoporum Luſitaniæ, dicendo; *Noſter ergo & noſtra Provinciæ (imò & totius Luſitaniæ) Epiſcoporum ſenſus & mens eſt, in præfatâ Conſtitutione ſanam Eccleſiæ doctrinam & traditionem contineri.* T. 2. p. 14.

Et paulò poſt: *Itaque captivamus intellectum in obſequium definitionis Eccleſiæ, quam ex promulgatione (quæcunque illa tandem ſit) ſcimus Pontificiam eſſe definitionem & Eccleſiæ; non cæcâ quidem ducti infallibilitatis fide, ut nobis impingunt Hæretici: ſed maturè hinc inde perpenſis Scripturæ, Conciliorum, Doctorum fundamentis, rationes definitionum curamus diligenter inſpicere.* T. 2. p. 14 & 16.

Epiſtola ejuſdem ad Cardinalem Biſſyum de 20. Martii 1718. *Ut ex noſtro nos ore judicent Galliæ Novatores, hoc illos ſcire volumus, noſtram ſcilicet, & omnium noſtrarum partium Epiſcoporum unanimem eſſe vocem & conſtans judicium, Conſtitutionem* Unigenitus *pontificiam eſſe legem, pro legéque datâ & ſancitâ haberi debere, non aliter, quàm habentur aliæ Eccleſiæ leges & canones.* T. 2. p. 244.

Epiſtola Capituli Eccleſiæ Cathedralis & Archiepiſcopalis Eboracenſis ad Epiſcopum Nemauſinum, ſede vacante, de 2. Octobris 1717. *Teſtamur, & atteſtamur, nos omnéſque noſtræ Provinciæ Epiſcopos absque dubitationis umbra, abſque controverſiarum ſtrepitu, prædictam Conſtitutionem acceptâſſe, & in illa iterum atque iterum prælecta ſanam doctrinam, & veram Eccleſiæ traditionem agnoviſſe.* T. 2. p. 26.

Poſteà ſubjungunt. *Inſuper vobis notum facimus .... noſtram florentiſſimam Conimbricenſem Academiam .... ſe jurejurando adſtrinxiſſe, etiam proprium, ſi occaſio tulerit, ſanguinem effundere pro tuenda æquitate, & veritate prædictæ Conſtitutionis.* T. 2. p. 20.

Epiſtola Rectoris Academiæ Conimbricenſis ad Papam de 5. Febr. 1717. *Academia Conimbricenſis .... Sanctitati tuæ ſeſe offert .... quòd ſe agnoſcit filiam obſervantiſſimam .... & quæ unàcum Luſitaniâ totâ, ejúſque latiſſimis ditionibus, ſemper veros ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Paſtores, ſemper ſummorum Pontificum præcepta ac placita .... ſumma cum reverentia, atque unanimi omnium partium conſenſu coluit, ſervavit, iiſque obtemperavit. Quapropter .... Conſtitutionis* Unigenitus *obſervantiam, eo modo, quo ſanctitas vult, docet,*

ac imperat, defendere privatim, ac publicè, jurejurando ſe adſtrinxit. T. 2. p. 24.

Epiſtola Univerſitatis Conimbricenſis ad Papam de 5. Febr. 1717. Quam ſubſignavit Rector Univerſitatis & 35. Profeſſores ex omnibus facultatibus. *Cùm primùm auditum eſt in Luſitaniâ, de Romano cœlo tactum fuiſſe apoſtolico fulmine opus, Gallicè conſcriptum ..... Cui Titulus* Le nouveau Teſtament en François, *&c.... nihil omninò Luſitani habuere antiquius, quàm ut immortales gratias agerent Deo ſcientiarum Domino, pro mente divinitùs injectâ Sanctitati veſtræ, ut proſcriberet volumina & propoſitiones, quæ non ſine magno privatæ & publicæ ſalutis detrimento ſuſtineri poterant.* T. 1. p. 36. & 38.

Deinde ſic proſequitur. *Statuit*, (ſcilicet facultas,) *ſe ſuóſque ſolemni Sacramento obligare ad deteſtandum omnes & ſingulas unam ſupra centum Theſes, quas in prædictâ Conſtitutione Sanctitas veſtra ſapientiſſimè ac juſtiſſimè damnavit; in eo ſenſu, in quo ibidem damnata ſunt, quem omnibus doctis obvium eſſe non ignoret, quiſquis eas Theſes examinavit Theologicâ ſtaterâ, illáſque perpendit in pondere ſanctuarij, ut ſedulò (pro more ſcilicet ſuo) factum eſt à Conimbricenſi Academia.* T. 2 p. 44.

Deliberatio Univerſitatis Conimbricenſis de 7. & 9. Januarii & 4. Febr. 1717. *In quibus* (ſcilicet ſuffragiis) *omnes unanimiter, nullóque diſcrepante cenſuimus.... Conſtitutiones Pontificias dogmaticas non indigere ad ſuum robur ac vigorem obtinendum fidelium populorum acceptatione aut conſenſu; nec proinde talium acceptationem aut conſenſum ali-*

quo modo eſſe authoritativum .... 2. Omnes teſtati ſunt, ſe non causâ acceptandi prædictam Conſtitutionem conveniſſe, quaſi ipsa tali acceptatione indigeret ad ſuum valorem, ſed tantùm ad eam venerandam ac debitam obedientiam præſtandam ..... 3. Sentire omnes, ad valorem alicujus Bullæ Pontificiæ & dogmaticæ multò minùs requiri acceptationem, aut conſenſum alicujus particularis Eccleſiæ. T. 2. p. 58.

Formularium juramenti præſtiti â Profeſſoribus, cunctiſque membris Facultatum Theologiæ, Juris Canonici, Medicinæ, omnibúſque, diverſa Collegia componentibus, & prædictæ Univerſitati Conimbricenſi aggregatis. *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ SS. D. D. N. Clementis XI. Pontificis Maximi, quæ incipit,* Unigenitus Dei Filius, *data ſub 6. idus Septembris Anni* 1713. *me per omnia ſubjicio, omnéſque Propoſitiones in ea damnatas, & in ſenſu, in quo damnatæ fuerunt, ſincero animo rejicio, damno, & anathematizo, & ita juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* Hoc formularium juratum & ſubſcriptum eſt â 103. Doctoribus & Profeſſoribus Theologiæ, in 17. Collegia deportatum per 12. Profeſſores in Jure Canonico, 10. Profeſſores in Jure Civili, 7. Profeſſores in Medicina, & 9. Conſultores ſeu deputatos ab Univerſitate, in toto 141. T. 2. p. 64.

Belgium.

MAndatum Vicarii Generalis Yprenſis, Sede vacante, de 9. Martii 1714. pro publicatione Bullæ *Unigeni-*

genitus, & cenſurarum, quæ latæ ſunt contra librum Reflexionum moralium. Tom. 2. p. 120.

Mandatum Epiſcopi Namurcenſis pro eâdem cauſâ: de 8. Maii 1714. Tom. 2. p. 126.

Mandatum Vicarii Apoſtolici Diœceſis Boſcoducenſis, de 10. Maii 1714. pro publicatione Conſtitutionis. Tom. 2. p. 128.

Mandatum Epiſcopi Ruremondenſis, Primatis Geldriæ, pro eâdem causâ, de 19. Maii 1714. Tom. 2. p. 130.

Ordinatio Epiſcopi Gandavenſis pro publicatione Conſtitutionis in ſuâ Diœceſi de 30. Maii 1714. Tom. 2. p. 134.

Mandatum Epiſcopi Antuerpienſis de 30. Jun. 1714. vi cujus notificat Conſtitutionem *Unigenitus* toti Clero, & cunctis fidelibus, ut ſe illi plenâ ſubmiſſione conforment, ſub pœnis in illâ expreſſis &c. Tom. 2. p. 136.

Mandatum Epiſcopi Tornacienſis de 2. Julii 1714. in quo ſic effatur. *Petrus hodie loquitur, Chariſſimi Fratres, ex ore ſapientis & pij Pontificis, qui eſt Supremus in Eccleſiâ. Cum perfectâ ſubmiſſione cordis & intellectûs dicimus, atque exhortamur vos, ut nobiſcum dicatis: fides Clementis XI, eſt noſtra fides.* Tom. 2. p. 140.

Mandatum Vicariorum Generalium Brugarum, ſede vacante, de 7. Julii 1714. in quo præcipitur publicatio, & obſervatio Conſtitutionis *Unigenitus*, ſicut in Mandatis præcedentibus. Tom. 2. p. 142.

Ordinatio Vicarii Gener. Archiepiſcopatûs Mechlinienſis

ſede vacante, pro impreſſione & publicatione ejuſdem Conſtitutionis de 9. Julii 1714.

Mandatum ejuſdem pro condemnatione variorum libellorum, contra Bullam *Unigenitus* ſtrepitantium. *Si omnes eandem ſummo Eccleſiæ Capiti.... obedientiam exhiberemus, quam ſancta Concilia.... olim... non adeò multi hodiedum reperirentur, qui nuperam Conſtitutionem....* Unigenitus *variis libellis inſidioſis juxta & ſeditioſis infamiter vellicarent, proſcinderent, & dilacerarent, animorum diviſionibus, & vilipenſioni ſacroſanctæ Romanorum Pontificum Authoritatis.... viam indignè ſternentes.* T. 2. p. 148.

Poſt hæc adducit verba & exemplum S. Cypriani. *Sanctus Cyprianus.... dicit, non aliunde hæreſes obortas, aut nata eſſe ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur.* Tom. 2. ibidem.

Declaratio Facultatis Theologicæ Duacenſis in Congregationibus celebratis 31. Julii, 3. & 17. Auguſt. 1714 in primâ Congregatione lecta fuit Conſtitutio publicè: deliberatio circa illam facienda dilata eſt ad ſecundam. In quâ, poſt complures reflexiones ſuper litigia in Galliis uſitata ad reiiciendam vel eludendam Conſtitutionem, Doctores declarant, ut ſequitur; *Significârunt ac profeſſi ſunt omnes unanimiter & apertè, ſe Conſtitutionem Apoſtolicam, quæ incipit,* Unigenitus, *recipere purè, ſimpliciter, ſine ullâ diſtinctione, expoſitione, ſeu interpretatione.... ſe, & reliquos fideles obligari in conſcien-*

ſcientiâ, & ſub graviſſimo ſchiſmatis aut hæreſis peccato, ad hanc fidei confeſſionem. T. 2. p. 154.

Item : *ſignificârunt .... ſibi perſuaſum eſſe, novam Conſtitutionem, comparatam ad rerum Theologicarum peritos, ad humiles, & obedientes Eccleſiæ Filios, non minùs eſſe claram, quàm quæ aliàs edita ſunt adversùs Wiclefſum, Joannem Huſs, Lutherum, Baium, Janſenium, Molinos, & Caſuiſtas Laxiores ac rigidiores &c.* Tom. 2. p. 156.

Item : *ſignificârunt .... ſe cum Chriſti gratiâ paratos mori pro æquitate, veritate, ac robore præfatæ Conſtitutionis.* T. 2. p. 158.

Item : *ſignificârunt .... illos, qui Conſtitutionem non niſi explicatam recipere volunt, non ipſam Conſtitutionem, ſed ſuas explicationes, præconceptis opinionibus conformes recipere, illos non obedire voci Paſtoris, ſed proprijs placitis ſuperbè & pertinaciter inhærere.* T. 2. p. 159.

In tertiâ congregatione Doctores Facultatis Duacenſis conſtruxerunt perdoctam collectionem textuum & locorum SS. Patrum, atque Conciliorum, quibus demonſtrant neceſſitatem fidelium, ut in fide ſint uniti cum S. Petro, ejúſque Succeſſoribus. *Placuit ſacræ facultati, ut ex Scripturis, ſummis Pontificibus, Concilijs, Patribus, aliíſque Authoribus Eccleſiaſticis teſtimonia proferantur .... quibus demonſtretur, neceſſe eſſe, ut Fideles cum Petro, ejúſque Succeſſoribus Eccleſiam paſcentibus, ſeu ex Cathedra docentibus, perpetuò conſentiant, niſi ab ovili Chriſti, ut oves putridæ, ſejungi velint.* T. 2. p. 160.

Epiſtola Facultatis Theologicæ Duacenſis ad Facultatem Lovanienſem de 22. Junii 1715. in quâ notificatur ſparſus rumor per Gallias, quaſi Facultas Theologica Lovanienſis rejecerit Conſtitutionem *Unigenitus*: hortatur Facultas Duacenſis Lovanienſem, ut detergat, & confundat hanc calumniam inſtrumento quodam authentico & teſtimonio publico.

Reſponſum Facultatis Theologicæ Lovanienſis ad Duacenſem de 8. Julii 1715. Doctores conqueruntur & proteſtantur contra calumnias, quibus tentabantur denigrari. Allegant plura argumenta ſubmiſſionis ſuæ erga Conſtitutionem *Unigenitus.* Adjungunt hæc verba. *Poſt maturam deliberationem ex unanimi ſuffragio concluſum fuit.... reſpondendum eſſe, quòd agnoſcamus, & ſincerè ſentiamus omnia & ſingula ritè, legitimè, ac juris ordine peracta eſſe in negotio, concernente librum, gallico idiomate impreſſum...ſub titulo* Le nouveau Teſtament; *palámque profitentur, omnes & ſingulas propoſitiones, per præfatam Bullam* Unigenitus *damnatas, verè damnabiles, & verè rectéque damnatas fuiſſe.* Tandem finiunt Epiſtolam his terminis: *En quid reverà ſentiamus; optamus, ut hac mens noſtra non ſolùm cognoſcatur à vobis, ſed à toto univerſo, ut occludantur ora, loquentium iniqua.* T. 2. p. 178.

Declaratio Facultatis Theologicæ Muſſiponti, congregatæ 20. Julii 1716. *Facultas non ſolùm declaravit, ſuum ſenſum eſſe, Conſtitutionem* Unigenitus *eſſe irreformabile judicium, & regulam dogmaticam omninò immobilem*; ſed & conſtituit Formularium ſubmiſſionis indubitatæ versùs Conſtitutionem *Unigenitus*, ſubſignandum ab omnibus Doctoribus & membris totius Facultatis. T. 2. p. 196.

En teſtimonia clara & præciſa propè omnium Eccleſiarum totius Europæ. Quibus jungi poſſent multorum aliorum Epiſcopatuum formalia, & authentica ſuffragia, niſi mox allata ſufficerent, & præfixa brevitas præplaceret. Verùm eſt, quòd Syndicus Sorbonæ D. Ravechetus noluerit acquieſcere (*a*) donec etiam vidiſſet Mandata Epiſcoporum transmarina, ex finibus ſynarum in Oriente, & Americanorum in Occidente; exponens inveſtigationem ſolidæ Veritatis liquido ſpiritui procellarum, & periculis ſcopulorum. Sed Quenellus ipſemet ridiculam Syndici prætenſionem deſerit; nam ſic loquitur: (*b*) *Factores libellorum memorialium certificant nos, Bullam* Unigenitus *ubique receptam eſſe: num verò putant, verbum iſtud mereri fidem noſtram? hoc ipſis probandum incumbit. Exſpectamus probationes: ne tamen nimiùm defatigentur, condonamus ipſis partem aliquam laboris, ac libenter diſpenſamus, ne ſoliciti ſint afferre teſtificationes ex Aſiâ, & Americâ: dummodò oſtendant teſtimonia omnium Eccleſiarum Europæ, de cætero dimittentur liberi*: oſtendimus teſtimonia omnium Eccleſiarum Europæ; Unitas eſt integra, concordia plena & perfecta inter pleróſque Epiſcopos Galliarum, & Epiſcopos extraneos aliorum Regnorum. Sunt hæc teſtimonia non ſimplices Atteſtationes Perſonarum modicæ Authoritatis; ſunt Mandata & Epiſtolæ Authenticæ, quibus Primates & Archiepiſcopi ſolemni ritu teſtantur acceptationem Bullæ, non de ſe duntaxat, ſed & de cæteris ſuis Epiſcopis comprovincialibus,

(*a*) Diſcours du Syndic. 7. Mem. du P. Quenel. pag. 398.
(*b*) 7. Memoire avertiſſement pag. 123.

Ergò juxta verbum Quenelli dimittimur liberi, ſine neceſſitate & obligatione recurrendi ad Indos, ut inſipidè voluit prætendere Syndicus Sorbonenſis, quem & nos gratìs dimittimus, & quidem his verbis Magni Auguſtini. l. 1. c. 4. contra Julianum. p. 503. Tom. 10. *An ideò contemnendos putas*, (Epiſcopos Europæ) *quia Occidentalis Eccleſiæ ſunt omnes, nec ullus eſt in eis commemoratus à nobis Orientis Epiſcopus? .... puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in quâ primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominusglorioſiſſimo Martyrio coronare; cui Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium, ſi audire voluiſſes, jam tunc .... Juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes.*

Quæſtio Secunda.

UTrùm liceat ſacramentalem Abſolutionem petere ab illis Presbyteris, qui recuſant acceptare Bullam *Unigenitus*, vel qui ſubſignârunt Formularium Appellationis, quam interpoſuêre quatuor Epiſcopi?

Summoperè affligor ex miſerando ſtatu, in quo hodie verſatur Eccleſia Gallicana: particeps ſum doloris, quem ſentis; eóque ſenſibiliùs doleo, quòd ſciam, anxietates tuas non eſſe inanes, nec ſine causa te illis diſcruciari. Dicam ergò omni meliore candore & æquanimitate, quid cogitem, quid ſentiam circa ſecundam quæſtionem, quam dignatus es mihi exponere: ſi quid luminis, ſi quid ſcientiæ de me velis præſumere, ne, quæſo, id minimum ponderis adiiciat mox dandæ deciſioni. Ad ſolas rationes, quibus firma-

firmabo ſententiam meam, te velim attentum; compertum eſt mihi, ea omnia ingenuitati tuæ haud modicè ſuffragari, quæ juvant, ut maturè judices, & profundè penetres, quàm ſint vera, quàm ſolida fundamenta & argumenta, quæ proferam.

Quæris igitur, an poſthàc tibi liceat confiteri ſacramentaliter Presbytero, qui ſubſcripſit Formulam Appellationis quatuor Epiſcoporum, vel qui renuit ſe ſubmittere Conſtitutioni *Unigenitus*, quíque tenet Propoſitiones per illam damnatas? Reſpondeo, quòd hoc tibi non liceat, & quòd tenearis accedere Confeſſarium, non appellantem, non Contradicentem. Patienter ſuſtine, quòd hic præviè & breviter ſtatuam duo principia.

Primum Principium. Conſtitutio dogmatica, emanata à ſacra Sede, utpote à centro Unitatis & Veritatis, eſt Regula infallibilis fidei, obligans univerſos fideles, ſi ſit firma, & firmata per communem adhæſionem Corporis Paſtoralis; id eſt, ſi eam acceptaverunt Prælati & Patres Eccleſiæ. Hoc nemo negaverit inter Orthodoxos; tunc enim ejuſmodi Conſtitutio eſt judicium Eccleſiæ univerſalis, eſtque de fide, Eccleſiam Chriſti univerſalem non poſſe errare. Quatuor Epiſcopi appellantes concedunt hanc Veritatem, eámque fatentur paginâ 23. in Memoriali libello, ab ipſis confecto pro causâ & juſtificatione ſuæ appellationis; expreſsè pronuntiant, Conſtitutionem Papæ Zoſimi contra Pelagianos fuiſſe judicium Eccleſiæ univerſalis, eò quòd fuerit acceptata à toto Corpore Paſtorali, tametſi Julianus, & cum ipſo octodecim

 Epiſco-

Epiſcopi Pelagiani recuſaverint illam ſubſcribere, atque appellaverint ad Concilium generale tantâ cum obſtinatione, ut tandem fuerint excommunicati, depoſiti, ac totâ Italiâ expulſi. idipſum faſſus eſt Quenellus in quodam ſuo opuſculo, cui Titulus, *Traditio Eccleſiæ Romanæ:* prout jam ſuprà notavimus. Sic enim effatur, tractans de Eccleſiis orbis Chriſtiani, non conſentientibus appellationi & proteſtationi, â Pelagianis interjectæ: *earum ſilentium, ſi præter illud nihil aliud huic cauſæ ſuffragaretur, debet tenere locum conſensûs generalis; quod ſilentium, junctum judicio ſacræ Sedis, efformat deciſionem, cui nemo contradixerit, quam nemo audeat non ſequi;* Superfluum, ſed & inutile foret, fuſiùs immorari probationibus tantæ Veritatis, quam Eccleſia omni ævo ſupponit irrefragabilem, & cui ipſimet Appellationis Auctores unâ voce acclamant.

Secundum Principium. Conſtitutio Unigenitus hodie ſolemnibus Votis & Mandatis acceptata eſt â toto Corpore Paſtorali; firma & firmata eſt per communem adhæſionem omnium Epiſcoporum orbis Chriſtiani occidentalis, prout ad primam quæſtionem abundanter demonſtravimus: ex quo patet, hanc Conſtitutionem eſſe judicium, ab Univerſali Eccleſiâ latum. Epiſcopi quatuordecim eam reſpuentes necquidquam derogant ejuſdem Valori; ipſi enim Auctores memoratæ Appellationis fatentur in ſuo Libello apologetico, quòd novendecim Epiſcopi, detrectantes conſentire Epiſtolæ Zoſimi contra Pelagianos, illam non infirmaverint, quin æquè fuerit Regula fidei, cui omnis fidelis tenebatur obedire: nec quiſquam attentaverit aſſeverare, condemnationem Calviniſmi ex eo fuiſſe invalidam, quòd octodecim Epiſcopi

tergiverſati ſint ſeſe ſubſcribere.

His Principiis ita ſuppoſitis & ex parte probatis, jam percipe cauſas & radices datæ Deciſionis.

Non tibi licet ſacramentaliter confiteri Presbytero, qui eſt Schiſmaticus, qui eſt Hæreticus, qui eſt Excommunicatus. Presbyter ſubſcribens formulam Appellationis, vel recuſans obedientiam & ſubmiſſionem Conſtitutioni *Unigenitus*, eſt Schiſmaticus, Hæreticus, Excommunicatus: ergò non tibi licet confiteri Presbytero, qui ſubſcribit Formulam appellationis, vel qui recuſat obedientiam & ſubmiſſionem Conſtitutioni *Unigenitus*.

Prima ſive major propoſitio hujus argumenti nullâ indiget probatione; & certus ſum, quòd nullam à me poſtules. Sola igitur quæſtio ſupereſt de ſecunda ſive minore propoſitione; an videlicet ſubſcribens formulam Appellationis, aut recuſans ſe ſubmittere Conſtitutioni *Unigenitus* reverà ſit Schiſmaticus, Hæreticus, & Excommunicatus?

Quid? inquies; ſítne poſſibile, quatuor Epiſcopos interponentes ſuam appellationem, omnéſque Presbyteros, eam ſubſignantes, eſſe Schiſmaticos, Hæreticos, Excommunicatos? horret animus, ejuſmodi rem vel cogitare, ne dicam, ſine crimine proloqui; noli timere hæc cogitare ſimul & proloqui; nòn peto, ut aſſenſum præbeas tantæ veritati, circa quam niſi probè inſtruaris, ſalus tua certè claudicat; non, inquam, peto aſſenſum, priuſquàm hoc ipſum demonſtravero invictiſſimè, & quidem rationibus, quibus reſiſtere haud poteris.

Verùm, quid reſpondebis, ſi tibi oſtendam, quòd optimus Scriptor totius Factionis Janſenianæ idipſum, quod ego, deciderit, & quidem terminis expreſſis in quodam

ſuo libello, quod priùs lucem non vidit, niſi diu poſt mortem Regis: Audi, quomodò loquatur hic Author pagina quinta in ſuâ reſponſione ad duos libellos memoriales. *Si omnes Epiſcopi Chriſtiani orbis*, inquit, *canonicè acceptârunt Conſtitutionem, exceptis quindecim, hi quindecim, ſuppoſito, quòd nolint ſe jungere reliquis, ſunt ad minus Schiſmatici; non niſi unico paſſu diſtant ab hæreſi formali; unico gradu progrediantur, & erunt Hæretici declarati, ad hoc, ut ſubjaceant pœnis Juris, & ut ſint reſecti à Corpore Eccleſiæ, tacti Anathemate, digni deponi, quique mereantur deſeri & vitari &c. Si verum eſſet*, addit pag. 26. *totum Corpus Paſtorum unitum eſſe cum Papa quoad Conſtitutionem, item, ſi verum eſſet, legem hanc fuiſſe reipsâ latam, quicunque eam non reciperet, ille verſaretur extra viam ſalutis.* Vides igitur ſecundùm hunc Authorem, quid ſentire debeas de appellantibus, de tergiverſantibus, & conſequenter de arbitro Conſcientiæ tuæ; ſi enim verum eſt, quòd totum Corpus Paſtorum unitum ſit Papæ quoad Conſtitutionem, & ſi lex eſt realiter lata, quisquis eam non recipit, ille eſt extra viam ſalutis. Ex ſecundo principio ſuprà poſito, & demonſtrato, lex eſt realiter lata; totum Corpus Paſtorum unitum eſt Papæ quoad Conſtitutionem; ergò ſecundùm hunc Authorem quiſquis eam non acceptat, ille eſt extra viam ſalutis; ille eſt ad minus Schiſmaticus, illi nihil deeſt niſi unicus greſſus faciendus, id eſt, obſtinatio in ſuâ renitentiâ, ut fiat Hæreticus declaratus, abſciſſus â Corpore Eccleſiæ; tactus Anathemate, dignus deponi, & meritò vitandus.

Di-

Dices. Hic Scriptor poneretur in ſignum, cui contradiceret tota ejus Factio, quem omnes ejus amici derelinquerent. Sit ita; intereà demonſtrabo, quàm vera locutus ſit Scriptor ille, quamvis omninò independenter ab ejus ſuffragio Veritati velim ſuffragari.

Presbyter, qui ſubſignavit formulam Appellationis, vel qui recuſat ſe ſubmittere Conſtitutioni, eſt Schiſmaticus.

SEcundùm communem ideam Doctorum ille eſt Schiſmaticus, qui ſe ſubtraxit obedientiæ univerſalis Eccleſiæ. Presbyter, qui ſubſcripſit appellationem, vel qui renuit ſe ſubiicere Conſtitutioni, ſubtraxit ſe obedientiæ univerſalis Eccleſiæ; eò quòd recuſaverit ſe ſubmittere Conſtitutioni, quæ, juxta ſecundum principium ſupra poſitum, eſt lex Eccleſiæ univerſalis; ergò Presbyter, qui ſubſcripſit appellationem, vel recuſavit ſe ſubmittere Conſtitutioni, eſt Schiſmaticus. Fruſtrà proteſtatur talis Presbyter, quòd minimè prætendat ſe ſubtrahere obedientiæ Eccleſiæ, & quòd ſit paratus obedire Concilio univerſali, ad quod appellat; ſi enim hæc ratio eſſet bona, ſequeretur exinde, Lutherum non mortuum eſſe Schiſmaticum, cùm certum ſit, ipſum â Conſtitutione ſummi Pontificis, ejus errores condemnantis, appellâſſe ad Concilium generale; & cùm certum ſit, Lutherum exſpirâſſe, antequàm Concilium contra ejus hæreſes ſententiam tulerit.

Neque meliùs ſe excuſaret ejuſmodi Presbyter, dicen-

do, quòd exiſtat in Diœceſi, ubi Conſtitutio non eſt promulgata, & ubi per conſequens non habet vim legis.

Reſpondet enim ipſemet Cabaſſutius de Theoriâ & praxi Juris Canonici pag. 14. quòd non ſit eadem ratio circa decreta, fidem concernentia, quæ eſt circa decreta, diſciplinam reſpicientia: priora etenim obligant omnes, quicunque de eorum exiſtentia ſufficientem acceperunt notitiam, tametſi necdum ſint publicata per Provincias, nec forinſecùs recepta. Cùm èontra poſteriora decreta neminem obligent, niſi poſtquàm ſunt publicata, & acceptata. Ratio hujus differentiæ, quam nominatus Author affert, eſt iſta: quòd decreta, fidem non concernentia, ſint duntaxat ordinationes juris humani, ſive Eccleſiaſtici, quæ non niſi mediatè ſpectant ad jus divinum; cùm viciſſim decreta, fidem concernentia, ſint leges divinæ, & obligent quemlibet in particulari, qui earum notitiam habet, tametſi necdum ſint promulgata aut recepta modo civili; quia hujuſmodi leges & decreta omnem ſuum vigorem, & vim obtinent non ab hominibus, ſed immediatè ab ipſo Deo. Addit paulò inferiùs, *quòd homo in quâdam Provinciâ remotâ, certò cognoſcens, aliquod decretum, fidem concernens, fuiſſe Romæ publicatum, ut ajunt,* ad valvas Apoſtolorum, *ſufficientem exinde contraheret obligationem, ſe tali decreto ſubjiciendi.* Ita ſeſe exprimit inſignis hic Canoniſta. Inutile foret, tibi dicere, quid hîc ſentiam, quid cogitem circa hæc ultima verba. Sufficit aliquando Authorem, Factioni adverſariæ minimè ſuſpectum, cùm ſit confrater Quenelli, ejuſ-

ejuſdem Oratorii & Inſtituti, tandem deciſiſſe, quòd Conſtitutio dogmatica obliget omnes fideles, etiam illos, qui ſunt in Diœceſi, ubi ejuſmodi Conſtitutio promulgata non eſt; & quidem ab eo momento, quo ſecurè ſciunt, eam fuiſſe publicatam & acceptatam ferè in omnibus Eccleſiis Chriſtiani orbis.

Presbyter, qui ſubſignavit appellationem, vel renuit ſe ſubjicere Conſtitutioni, eſt Hæreticus.

QUi cum pertinaciâ contradicit deciſioni dogmaticæ Eccleſiæ univerſalis, ille eſt Hæreticus: Presbyter, qui ſubſignavit appellationem, & renuit ſe ſubiicere Conſtitutioni, contradicit cum pertinaciâ deciſioni dogmaticæ Eccleſiæ univerſalis; contradicit enim Conſtitutioni, quæ juxta ſecundum principium eſt deciſio dogmatica Eccleſiæ univerſalis: ergò Presbyter, qui ſubſignavit appellationem, vel recuſat ſubmiſſionem Conſtitutioni, eſt Hæreticus.

Neque dicatur, poſſe contradici Conſtitutioni abſque notâ hæreſis, eò quòd qualificationes errorum afferantur duntaxat *reſpectivè*, nulláque earum qualificationum applicetur in particulari huic aut illi propoſitioni: ſi enim ratiocinium iſtud eſſet validum & ſolidum, ex illo poſſet invalidari & diſſolvi condemnatio 45. propoſitionum Wicleffi, quæ facta eſt in Seſſ 8. Concilii generalis Conſtantienſis; item poſſet reiici condemnatio 30. Articulorum Joannis Huſs, lata in Seſſ. 5. ejuſdem Concilii; manifeſtum eſt enim, omnes has propoſitiones non fuiſſe damnatas niſi *reſpectivè*,

& per eaſdem qualificationes, quæ reperiuntur in Conſtitutione, quas tamen Concilium non judicaverat conſultum applicare cuilibet propoſitioni ſingillatim.

Nec magìs juſtificantur, qui ſignant appellationem ſub prætextu, quòd idcircò appellent, quia Conſtitutionem non recipiunt tanquàm deciſionem Eccleſiæ univerſalis; ſi enim hæc ratio ſubſiſteret, ſtatim ex oppoſito monſtrarentur 19. Epiſcopi Pelagiani, appellantes ab Epiſtolâ Zoſimi ad Concilium Generale, ac ſequeretur, hos non fuiſſe Hæreticos; ipſa enim appellatio, quam interponebant ad futurum Concilium, manifeſtè probat, quòd Epiſtolam Zoſimi non reſpexerint tanquàm deciſionem Eccleſiæ univerſalis, quantumvis munita fuerit ſubſcriptionibus Epiſcoporum propemodùm omnium orbis Chriſtiani. Quis interim dicere attentaverit, novendecim Epiſcopos iſtos non fuiſſe Hæreticos? annon tales habebantur â S. Auguſtino, & ab Eccleſiâ? annon tandem contra ipſos executioni mandata eſt ſententia excommunicationis & depoſitionis in pœnam peccati & rebellis inobedientiæ?

Presbyter, qui ſignavit appellationem, vel renuit ſubmiſſionem Conſtitutioni, eſt Excommunicatus.

OMnis Hæreticus eſt excommunicatus: vel tenuiſſimè verſati in Jure Canonico ſciunt, & fatentur veritatem iſtam irrefragabilem. Jam verò Sacerdos, qui ſubſignavit appellationem, vel qui renuit ſe ſubiicere Conſtitutioni Clementinæ, eſt Hæreticus, quod mox demon-

monſtravimus. Ergò Sacerdos, qui ſubſignavit appellationem, vel qui renuit ſe ſubiicere Conſtitutioni Clementinæ, eſt excommunicatus. Verùm quidem eſt, ejuſmodi Sacerdotem, ex hoc ſolo, quòd ſit Hæreticus, necdum eſſe excommunicatum denuntiatum, ſeu declaratum; unde ſequitur, abſolutiones, quas in hoc ſtatu impertiretur, non fore invalidas; verumtamen eſt excommunicatus occultus, ſive toleratus; & hoc jam ſufficit ad reddendas illicitas omnes ejus abſolutiones; quod idem eſt, ac dixiſſe, talem Presbyterum in hoc ſtatu jam non poſſe ullam dare abſolutionem ſine commiſſione enormioris peccati. Hæc eſt deciſio Cabaſſutii pag. 520. loco ſuprà citato. Atquì non licet accedere Confeſſarium, qui nequit dare abſolutiones niſi illicitas; quia nemini permiſſum eſt, proximum ſuum exponere infallibili periculo & occaſioni peccandi; ergò &c.

Deinde Conſtitutio *Unigenitus* eſt lex lata ab Eccleſiâ univerſali, quæ excommunicat omnes, qui recuſant ſe ſubiicere huic legi: præterquàm quòd hæc Conſtitutio ſit relata in acta Parlamentorum regni; & per conſequens nulla pro ejus valore deſideratur conditio, quam exquirunt libertates Gallicanæ, ad hoc, ut Bulla ſacræ Sedis induat naturam legis, ad obligandos univerſos Gallos. Ergò quicunque non vult ſe ſubmittere Conſtitutioni *Unigenitus*, incidit in excommunicationem.

Quid jam ſentis? quid judicas de mea deciſione? ne putes, me idcircò expoſuiſſe partem aliquam rationum, quibus hæc deciſio innititur, quòd neceſſariam duxerim

Digitized by Google

explicationem ejuſmodi ſpecialem, ut te convincerem, ad quid tenearis; ſolummodò per hoc intendebam, tibi arma ſuppetere contra adverſarios, ſi fortè præſumerent inſanæ cryſi ſubiicere propoſitum tuum, de mutando Confeſſario, & quem meo judicio incunctanter deſeres.

Non hîc opus eſt, nî fallor, ut præmuniaris contra quandam objectionem, cui, ut informor, non modicum ponderis tribuunt Factioſi Janſeniſmi aſſeclæ. Tam levis eſt, ne dicam puerilis, ut vix credam, vel audaciſſimos eam audere proponere viris ſolidis, qualem te colo. Nihilominùs meis auribus eam audivi fieri prædictis diebus à Doctore Sorbonæ, qui non vulgarem ſe credit Magiſtrum in Iſraël. Deinde mihi innotuit, quàm ſolerter, & ubique hâc objectione proſiliat, opportunè importuné eam reiterando. Neque enim ſuis vicibus deeſt & viribus, ut puſillum gregem ſelectarum quarundam devotarum congreget in unum, quas ſolus rumor, quòd earum Director velit ſubſignare Appellationem, diſperſerat. Non comprehendo, ajebat Doctor ille, voce & vultu ad ſeriam ſerenitatem compoſito, non penetro, quâ ratione poſſit prætendi, quòd adhærentes Appellationi 4. Epiſcoporum fiant Schiſmatici, Hæretici, & Excommunicati. Nemo contradixerit, hanc prætenſionem eſſe valde exoticam. Negotium eſt etiamdum indeciſum; conantur ex utraque parte magìs ac magìs ad invicem propinquare. Ipſemet Papa videtur perquàm diſpoſitus, ad annuendas & offerendas eas conditiones pacis, quæ facilè poſſent acceptari. Verbo; res eſt in Lite pendente. Paciſcuntur, tractant, negotian-

Digitized by Google

tur inter ſe : jam verò quamdiu lis & negotiatio durat, tamdiu licet amplecti partem, quæ judicatur habere cauſam meliorem, magíſque rationabilem. Poterítne quis periclitari, ſectando id, quod attentis circumſtantiis cenſetur meliùs, cùm necdum conſtet, pro quâ parte ſtet victoria?

Non dubito, te primo intuitu deprehenſurum, quàm infirmum ſit ratiocinium iſtud, quàm venenatum, utpote cujus virus vel leni digito preſſum foras erumpit.

Poſtquàm Ariani in Concilio Nicæno damnati fuerant, non idcircò reſipuêre, ut veritati obtemperarent. Potentes erant, eáque excogitârunt media, quibus cauſam ſuam ultrà integrum ſæculum protraxerant: durante toto illo tempore nunquàm defuêre Negotiatores, qui, ut ipſi ajebant, pro tranquillitate & pace Eccleſiæ laborabant; fermè continua, & vix unquàm interrupta fuit hæc negotiatio, & eòuſque condeſcendebat Eccleſia, ut in Arianorum favorem plura Concilia celebraverit ſuper hanc materiam. Imò etiam Concilia œcumenica tenebantur. Num propterea putandum cenſes, deciſiones Concilii Nicæni fuiſſe incertas, aut quòd hæ negotiationes incidentes earum ſuſpenderint vigorem & effectus? num illi, qui renuebant ſe Concilio Nicæno ſubiicere, minùs erant Hæretici, eò quòd Ariani noverint vaferrimè in dies nova fabricare effugia, novas moliri technas, ſciveríntque negotiationum alias & alias catenas nectere? quòd ſi igitur verum ſit, prout demonſtravi ex ipſis Janſenianorum principiis, Conſtitutionem Clementinam

Digitized by Google

eſſe judicium Eccleſiæ univerſalis, & conſequenter regulam infallibilem, quomodò Auctoritas Factionis Janſenianæ, ad impediendum, ne tam citò veniatur ad depoſitionem Epiſcoporum, ad futurum Concilium appellantium, quomodò, inquam, hæc Auctoritas ſuſpendere poterit cenſuras, â Corpore Paſtorali latas contra omnes, qui renuunt ſe ſubmittere Conſtitutioni, & multò magìs contra illos, qui adhærent appellaaioni?

Quapropter, Amice, ne cunctêris te reſolvere; jam non potes diſſimulare; reſpice arbitrum conſcientiæ tuæ velut Schiſmaticum, velut Hæreticum, & Excommunicatum, niſi fortè velis ipſemet renuntiare Conſtitutioni, hoc eſt, fieri Hæreticus. Attentè præpondera, an te velis præcipitare in hanc abyſſum. En unâ ex parte quatuor Epiſcopos, ſe levantes contra Conſtitutionem: alterâ ex parte Corpus Paſtorale, ſuo Capiti unitum, quod tibi præcipit, ut te illi ſubiicias tanquàm regulæ infallibili; num tibi præplaceat fœdus inire cum quatuor Epiſcopis contra Corpus Paſtorale unitum ſuo Capiti? num adhærere Corpori Paſtorali ſuo Capiti unito contra quatuor Epiſcopos? profectò vel hæc vel illa pars errat: ex quâ parte cenſes probabiliùs reperiri errorem? nimium luminis tibi ſuffragatur, ut circa hoc cæcutias vel per momentum; aut hæſites, quæ pars tibi ſit eligenda: non tibi concedet pietas innata diu claudicare in duas partes; imò certus ſum, te jam totum determinatum.

Non diffiteor difficultatem, quam ſentire poſſes in deſerendo Directore, â quo hactenùs non niſi bona exempla

empla vidiſti;non niſi bona conſilia recepiſti; ſi tamen cor tuum recalcitraret evidenti huic veritati, animo revolvas, velim, quòd, tametſi hucuſque allata, ad demonſtrandam neceſſitatem derelinquendi hunc Directorem, non eâ certitudine & veritatis evidentiâ niterentur, quâ nituntur, & tametſi rationes allegatæ forent duntaxat probabiles, vel minutiſſima hæc probabilitas tibi perſuadere deberet mutationem Confeſſarii, appellantis & obloquentis, quam tamen mutationem ex allatis rationibus tibi neceſſariam eſſe cenſeo ſub ſtrictiſſimâ obligatione. In materiâ de fide & Sacramentis non ſolùm tenendum eſt id, quod eſt probabiliùs, verùm & id, quod eſt ſecuriùs. Nullum legi Auctorem, nequidem inter illos, quos vocant Probabiliſtas, qui contradicat huic regulæ. Quare ergò renueres te illi conformare? num ſalus animæ tuæ tam arcto vinculo alligata eſt directioni moderni tui Confeſſarii, ut ſine diſpendio ſalutis hoc vinculum rumpi nequeat? dixi tibi, & dedi ſimul rationes ſummè convincentes, quòd non tibi liceat ultrà Viro huic confiteri, quia præter periculum labendi in ejus ſententias & opiniones, (periculum tibi vix evitabile, & cui te exponere nequis,) evidens quoque eſt, te peccare, quoties eum accedis, cùm hoc agere haud poſſis, quin ipſum inducas in tentationem, & occaſionem dandi abſolutionem illicitam: quid ergò te moveat ſequi partem, quæ te poteſt perdere, & quam fatéris, non eſſe abſolutè neceſſariam ad ſalutem? maturè & ſine præoccupatione examina, quid in hujuſmodi caſibus & pietas Chriſtiana & pru-

dentia ſuggerit. Num prudentiæ eſt, ſeſe exponere periculo, quod evitari poteſt ſine diſcrimine ſalutis? num pietatis eſt, favere viris, aperto ſchiſmate Eccleſiam infeſtantibus? denique teneris ſalvare animam tuam: quidquid circa hæc mundus dicat, nihil te juvabit coram tribunali divino; quid reſpondebis huic Judici tam infallibili, quàm inflexibili, quando judicaturus eſt juſtitias tuas, & quando rationem exiget rationum illarum, quæ te permoverunt ad concredendam curam ſalutis tuæ viris ſaltem ſuſpectis de ſchiſmate & errore? Neſciebas, dicet Judex inexorabilis, quàm inſenſatas loquelas, quàm atroces calumnias evomuerit factio, cui adhæſiſti, contra illum, quem unxi, ut eſſet Vicarius meus ſuper terram, & paſceret populum meum electum, & dilectum, quem acquiſivi ſanguine meo? nonne præcipiens præcepi tibi, ut audires vocem ejus, & ſacræ ejus Perſonæ omnem venerationem deferres? an ignorabas, quòd ſequi Corpus Paſtorale, ſuo Capiti unitum, ſit ſola, ſed rectiſſima via, quæ ducit ad vitam, & in quâ non poteſt aberrari; *quare dereliquiſti fontem aquæ vivæ*, (a) de quo promiſeram, quòd ſpiritus meus ſit permanſurus ſuper eum, ne unquam amittat puritatem aquarum uſque ad finem ſæculorum, *& fodiſti tibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas?* recogita ſeram & inutilem pœnitentiam, quâ tunc doleres, & plangeres inſipientiam tuam, te non obtemperâſſe conſilio ſalutari, quod mihi modò purus ſalutis tuæ zelus inſpirat. Finio hanc Epiſtolam

(a) Jer. 2.

ſtolam narrando glorioſum Martyrium S. Hermenegildi, cujus exemplum planâ & plenâ deciſione ſolvit caſum, quem proponis.

Refert S. Gregorius Magnus (a) de Martyrio S. Hermenegildi, ut ſequitur. „Hermenegildus Rex, Leovi„gildi Regis Viſigothorum Filius, ab Arianâ hæreſi ad „fidem Catholicam Viro reverendiſſimo Leandro, Hi„ſpalenſi Epiſcopo, dudum mihi in amicitiis familiari„ter juncto, prædicante, converſus eſt. Quem Pa„ter Arianus, ut ad eandem hæreſim rediret, & præ„miis ſuadere, & minis terrere conatus eſt. Cúmque „ille conſtantiſſimè reſponderet, nunquàm ſe veram fi„dem poſſe relinquere, quam ſemel agnoviſſet: ira„tus Pater eum privavit regno, rebúſque exſpoliavit „omnibus. Cúmque nec ſic virtutem mentis illius „emollire valuiſſet; in arcta illum cuſtodia concludens, „collum, manúſque illius ferro ligavit. Cœpit itaque „Hermenegildus Rex Juvenis terrenum regnum deſpi„cere, & forti deſiderio cæleſte quærens, in ciliciis „vinculatus jacens, Omnipotenti Deo, ad confortan„dum ſe, preces effundere: tantóque ſublimiùs glo„riam tranſeuntis mundi deſpicere, quantò & religatus „agnoverat, nihil fuiſſe, quod potuerit aufferri. Superve„niente autem Paſchalis Feſtivitatis die, intempeſtæ noc„tis ſilentio ad eum perfidus Pater Arianum Epiſcopum „miſit, ut ex ejus manu ſacrilegæ conſecrationis com„munionem perciperet, atque per hoc ad Patris „gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus, Aria„no Epiſcopo venienti exprobravit, ut debuit, ejúſque

(a) l. 3. Dial. c. 31.

„ â ſe perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etſi
„ exteriùs jacebat ligatus, apud ſe tamen in magno men-
„ tis culmine ſtabat ſecurus. Ad ſe itaque reverſo Epiſco-
„ po, Arianus Pater infremuit, ſtatimque ſuos Appari-
„ tores miſit, qui conſtantiſſimum Confeſſorem Dei il-
„ lic, ubi jacebat, occiderent, quod & factum eſt. Nam
„ mox, ut ingreſſi ſunt, ſecurim cerebro ejus infigentes,
„ vitam corporis abſtulerunt; hócque in eo valuerunt
„ perimere, quod ipſum quoque, qui peremptus eſt,
„ in ſe conſtiterat deſpexiſſe. Sed pro oſtendenda verâ
„ ejus gloriâ, ſuperna quoque non defuêre miracula.
„ Nam cæpit in nocturno ſilentio pſalmodiæ cantus ad
„ corpus ejuſdem Regis & Martyris audiri: atque ideò
„ veraciter Regis, quia & Martyris.“

Plures reſtarent faciendæ reflexiones circa hoc factum, quarum tamen nullam appono; nam ipſa pietas & devotio ſuggeret tibi abundanter, quid deſuper ſit reflectendum; hoc unicum pro coronide notâſſe ſufficiat, quòd S. Gregorius cenſuerit, ad tam generoſam actionem, tametſi morte coronandam, S. Martyrem fuiſſe obligatum ex debito Religionis, utpote in occaſione eam defendendi, & quòd Eccleſia univerſalis ſingulis annis celebret triumphum hujus S. Martyris, quem reportavit, nolens recipere communionem Paſcha em de manibus Epiſcopi Ariani. Vale. 4. Aug. 1720.

Finis Appendicis.

Errata in Tomulo Primo.

In Præf. Col. 6. l. 1. decciſionibus. leg. deciſionibus.
In Præf. Col. 8. l. 19. exprobavit. leg. exprobravit.
In Præf. Col. 15. l. 19 animicis. leg. amicis.
pag. 3. l. ult. petinent leg. pertinent.
pag. 7. l. 24. fotioribus. leg. fortioribus.
pag. 19. l. 3. formalis. leg. formabis.
pag. 19. l. 7. deſtitui. leg. deſtituti.
pag. 19. l. 10. inſtitutiæ. leg. juſtitiæ.
pag. 19. l. 12. conſuliit. leg. conſuluit.
pag. 31. l. 22. poſſet tam. leg. poſſet tamen.
pag. 34. l. 14. Ecceſiam. leg. Eccleſiam.
pag. 35. l. 4. propoſitones leg. propoſitiones.
pag. 36. l. ult. receptaulum. leg. receptaculum.
pag. 39 l. 3. ſtaſtim. leg ſtatim.
pag. 40. l. 41. ſæpefacto leg. ſæpefato.
pag. 40. l. 23. atttociter. leg. atrociter.
pag. 43. l. 17. Thelogos. leg. Theologos.
pag. 50. l. 1. ancedenter. leg. antecedenter.
pag. 62. l. 15. Concinator. leg. Concionator.
pag. 81. l. 12. tameſi. leg. tametſi.
pag. 104. l. 11. attentaverint. leg. attentaverit.
pag. 106. l. 11. à non quo. leg. à quo non.
pag. 114. l. 23 interriorem. leg. interiorem.
pag. 129. l. 31. porumperent. leg. prorumperent.
pag. 135. l. penult. qræviſa. leg. præviſa.
pag. 136. l. 15. ſuppediarent. leg. ſuppeditarent.
pag. 139. l. 7. contempiſſes leg. contempſiſſes.
pag. 162. l. 9. ſectari. leg. ſectarii.
pag. 168. l. 6 &. 7. non non leg. non.
pag. 224 l. 16 Afrcani. leg. Affricani.
pag. 287. l. 21. redamus. leg. redeamus.
pag. 288 l. 6. autem autem. leg autem.
pag. 421. l. 11. quæ quæ. leg. quæ.

In Tomulo Secundo.

In Epiſt. Quartâ. pag. 8. l 3. incogitum. leg. incognitum.
pag. 74 l. 17. decciſionem leg. deciſionem.
In Epiſt Quintâ. pag. 7. l. 5. ſuavitarum. leg. ſuavitatum.
pag. 10. l. 27. confundantur. leg. confunduntur.

pag.

Errata.

pag. 17. l. 7. labantur. leg. labatur.
pag. 21. l. 2. hæ. leg. hæc.
pag. 24. l. 7. diſcribit. leg. deſcribit.
pag. 42 l. 2. fine. leg. ſine.
pag. 42. l. 17. annectet. leg. annectat.
pag. 43. l. 25. uvâ. leg. unâ.
pag. 70. l. 3. Orhodoxos. leg. Orthodoxos.
pag. 76. l. 3. an nos. leg. ad nos.
pag. 87 l. 22 averſantur. leg. averſatur.
pag. 91. l. 12. ganuam. leg. januam.
pag. 100. l. 12. damnara. leg. damnata.
pag. 103. l. 14. notantur. leg. notanter.
pag. 121. l. penult. ſecundùm leg. ſecundum.
pag. 125. l. 11. cuſtodierent. leg. cuſtodirent.
pag. 147. l. 4 hahuiſſe. leg. habuiſſe.
pag. 155. l. 10. iuſultatur. leg. inſultatur.
ibid. l. ult. morttalis. leg. mortalis.
pag. 156. l. 6. retardere. leg. retardare.
pag. 158 l. 5 ſecunpùm. leg. ſecundùm.
pag. 161. l. 18. fallirates. leg. falſitates.

In Anti-Hexaplis.

Pag. 16 . lin. 24. Serm. leg. Conc. Senon.
pag. 164 l. 5. unicujuſque. leg. uniuſcujuſque.
pag. 16 . l. 17. meritiis. leg. meritis.
ibid. l. ult. iniquitatate. leg. iniquitate.
pag. 173. l. 23. forrè ſege fortè.
pag. 177 l. 25 valuntas. leg. voluntas.
pag. 78 l. 8. iu numero. leg. in numerò.
pag. 87 l. 9 invicibilem. leg. invincibilem.
pag. 188. l. 1. & 2 jam datur non. leg. jam non datur.
pag. 198 l. 30. utrunqe. leg. utrumque.
pag. 200 l. 24 focium per effectum. leg. ſocium per conſenſum.
ibid. l. anten. opus meritorum. leg. opus meritorium.
pag. 221. l. 20. eſt peccatori. omittatur.

In Tomulo Tertio.

pag. 59 l. 3 loboratur leg. laboratur.
pag. 6 . l. 11. conſumat. leg. conſummat.
pag. 75. l. penult. vel nulla leg. vel nullam.
pag. 105. l. 9. item ſpiritus leg. idem ſpiritus.

HAG 4860

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google